

Boston Medical Library
in the Francis A. Countway
Library of Medicine ~ *Boston*

SURINGAR,

DE

MORBIS

ACUTIS.

INSTITUTIO
DE MORBIS ACUTIS.

INSTITUTIO

DE MORBIS ACUTIS,

SIVE

DOCTRINA INFLAMMATIONIS ET FEBRIUM;

AUCTORE

Ger. Conr. Bern. Suringar,

MEDICINAE, CHIRURGIAE ET ARTIS OBSTETR. DOCTORE, ET MEDICINAE PRACTICAE IN SCHOLA CLINICA ET IN ILLUSTRI AMSTELODAMENSIUM ATHENAEO, PROFESSORE.




Amstelodami,

apud C. G. SULPKE.

MDCCCXXXVI.

6338



PRAEFATIO.

Si quis miretur, me juvenem, cum doctrinae limatioris copiâ, tum diuturnae consummataeque experientiae laude carentem, in hac denique Artis, a multis cultae et perfectae, conditione, librum scripsisse alios docendo destinatum, mole quidem parvum, sed in gravissima materie occupatum, audiat velim, quae roganti mirantique respondeam. Ego vero et ea sum aetate, in quam ista in aliorum studiis acquiescendi cupiditas cadere non debeat, et eo sum constitutus loco, quo Naturam diligenter interrogare possim et alios docendo discam, et iis denique moribus sum, ut diligentiam certe meam hominibus, sapientia, probitate, doctrina conspicuis, probare, praesertim vero discipulis meis prodesse cupiam. Quicumque autem existimat, aliorum laborem, qui ante de arte medendi scripserunt, adeo absolutum esse, ut eo potius contentos

esse, quam nova periclitari nos deceat, vereor, ne modestiae nomine ignaviam et desidiam suam excusare velle videatur. Post Boerhavium utique, Maximilianus Stollius, Johannes Baptista Burserius, Johannes Petrus Frankius, et pauci alii de cognoscendis et curandis morbis ita praeceperunt, ut optimi fuerint et adhuc dici mereantur juvenum, artem discentium, praeceptores, Medicorum autem, artem factitantium, in arduo medendi negotio duces. Ne quis tamen propterea statuat, ab eorum virorum tempore in nostros usque dies, nihil aut emolumenti, aut incrementi, Arti nostrae longae et salutari accessisse. Medicina enim temporis filia est, adeoque suas habet aetates atque periodos, et nunquam quiescit otiosa, aut de thesauris suis prorsus secura. Crescit in dies observationum silva; quae dubia erant, confirmantur; obscuris lucem addi videmus; et ideo ex recentissimis quoque Medicorum laboribus proficere potest, qui utilem ab inutili herbam distinguere callet. Quemadmodum autem nulla vera sapientia medica, nulla in medendo solertia et perspicacia, nulla spes in naturae et artis adversus morbos praesidia, sine diligenti opera et studio, in veterum Medicorum scriptis collocato, acquiri possunt, sic, ab alterâ parte, nullos experientiae diuturnioris fructus percipere, ad nullam artis perfectionem adspi-

rare, nullos in investiganda morborum natura, aut in iisdem sanandis, progressus ulteriores facere licebit, nisi posteriorem prioris diei et discipulum et praeceptorem esse concedas; nisi lumen, rei alicui natum, pro novi luminis diluculo habeas; nisi in sapientiae studio, cum ab antiquis tum a novis esse consueveris, de vero autem quaerendo semper sollicitus; nisi optima quaevis, Matinae apis instar, cum ex tuis, tum ex alienis libare scias. Itaque non satis fuerit, quae Bernardini Ramazzinii verba sunt, ab antiquis fontibus Medicinam hausisse, sed necesse quoque est, puros ac securos latices degustasse, quos novae scaturigines tam larga vena effudere. Neque tanti facienda sunt antiquitatis et novitatis nomina, ut a veri studio abducamur. Quae antiqua vocantur, et plurium saeculorum suffragia tulerunt, quaeque ad aegrotantium lectos comprobari videmus, nova sunt semperque manebunt: quae autem nova et recentia a nobis dicuntur, si vera sunt, antiqua dici merentur; quid enim veritate antiquius! In evolvendis igitur tam priscae quam novae Medicinae selectioribus monumentis, idem judicium esto, quod esse solet in nummis, quorum non elegantia, sed bonitas et pondus spectantur, et in quorum usu nihil refert, utrum recens an multo ante cusi sint.

Haec fere cogitavi, quum me ad scriptionem libelli

accingerem, in quo Praxeos medicae initia traderem. In eo quippe digerendo haec praesertim spectavi, ut praecipua scientiae medicae momenta, id est artem morbos cognoscendi et naturae convenienter sanandi, breviter, perspicue et accurate, in gratiam discipulorum, notarem, usus tum experientiae luce, tum aliorum, et antiquiorum et recentiorum, Medicorum observationibus. Quod consilium quatenus assecutus sim in hac *inflammationis et febrium doctrinâ*, peritiorum judicum creta aut carbo, tum vero tempus, ut spero, me mihi diffidentem docebunt.

Aphoristicum dicendi genus Boerhavii, paucis multa complectens, quantum fieri potuit, imitari conatus sum, ut ipse in docendo, quo loco interesset, plura dicendi explicandique occasionem haberem, tum vero ut discipulis, sine taediosa scribendi necessitate, disciplinae et artis therapeuticae summam, id est, fidas morborum imagines et praecipuos medendi canones suppeditarem. Si quis prolegomena nostra cum Boerhavianis comparaverit, statim intelliget, me in illustre illud summi Medici exemplar, cum in cogitando tum in scribendo, quod cum verecundia dictum sine invidia accipiatur, intuitum esse, et illud spectasse, ut e longinquo saltem Viri immortalis vestigia premerem. Quod si aliis audax videatur pumilionis coeptum, nihil

habeo, quod respondeam. Si prorsus defecerim, non tam turpe erit vinci, quam contendisse decorum.

In quovis autem morborum genere describendo ita plerumque versatus sum, ut brevem aliquam definitionem aut descriptionem praemiserim, ex qua de universa morbi natura constaret. In his vero parsimoniae et sobrietatis culpam mereri, aut ignorantiam subinde profiteri malui, quam theoriam condere, opinioni magis quam naturae superstructam. Multae quippe quaestiones sunt, interiorem morborum naturam spectantes, quae melius ad auditorum captum, in Scholis tradi, quam in Lectoris commodum explicari et judicari posse videntur. Ea nimirum, quae non nisi conjecturâ assequi nobis licet, aut de quibus sub judice lis est, a praeceptore, modo non omni dicendi facultate et arte dialectica careat, ita proponi, analogiae auxilio illustrari, ipsis vitae legibus confirmari, et ad trutinam rationis atque experientiae revocari possunt, ut, nisi partium studio se duci patiatur, non suam quandam defendat sententiam, sed vera tantum tueatur et quae veri simillima videntur.

Signa, quibus singula morborum genera distinguantur, accuratissime quidem recensere studui, ea autem neglexi, de quibus mihi persuasum erat, non ex propria morbi natura, sed casu subinde adfuisse. Cae-

terum in delineanda morborum imagine, saepissime usus sum verbis eorum, quos in arte morbos pingendi excelluise communis eruditorum vox est. Multa certe morborum genera ab Aretaeo, Caelio Aureliano, Sydenhamo, Lommio, Boerhavio, Stollio aliisque ita sunt descripta, aut potius ipsis naturae coloribus effìcta, ut, quod fidem augeat, vix quidquam addi possit imagini. Quum autem in morborum criteriis eadem sedulitate opus sit, quam in describendis caeteris naturae rebus, illud quoque spectavi commodum, ut, qui principes in arte viri sunt, loquentes inducendo declararem, quorumnam Medicorum fide et auctoritate signa morborum dubia vel nitantur vel comprobentur.

In causis morborum memorandis brevitati studui. Eas praesertim memoravi, quae frequentissimae sunt, quarumque vim et efficacitatem in hunc illumve morbum vel generandum vel excitandum docuit usus. Paulo pleniorem feci mentionem de iis morborum causis atque effectibus, quorum cognitionem debemus diligenti corporum mortuorum inspectioni. Hoc quippe adminiculo, proprias plurimorum morborum sedes optime erui, eorumque causas, effectus et signa legitima saepissime cognosci et judicari posse, nemo, opinor, negaverit, nisi in Morgagnii et recentiorum

laboribus hospes sit, aut ipse manum operi admovere neglexerit. Solo cultro anatomico intricatas et perplexas morborum causas intelligi, adeoque vera probari, errores autem confutari posse, illustre docuit Boerhavii aliorumque Medicorum exemplum. » Neque » quisquam facile crederet, quantum in morbis, prae» sertim chronicis, interiora pervertantur, et quanta » partium interiorum monstra gignantur. Ausim di» cere, plus una dissectio et apertio tabidi, aut morbo » aliquo antiquo vel venenato confecti corporis, ad » Medicinam attulit commodi, quam decem corpora » strangulatorum." His Harvaei verbis eo lubentius utor, quo certius est, ab immortali *Exercitationum de circulatione sanguinis* scriptore, cujus laudibus detrahere hodierni fere moris est, novam quoque epocham repetendam esse illius disciplinae, quam recentiores Anatomiam pathologicam dixerunt, principem fere ad *Pathologiam philosophicam* ducem. Quum vero omne nimium vertatur in vitium, quumque in quavis re limites sint, quos ultra citraque nequit consistere rectum, in hoc etiam argumento ad prudentiae potius quam doctrinae laudem adspirare studui, utpote ratus, corporum morbidorum anatomiam Medicinae perficiendae esse auxiliatricem, minime autem habendam esse pro fonte, a quo omnis Praxeos medicae

ratio repetenda sit. Qui enim in homine nil videt praeter materiae organicae compagem, Artis suae fundamentum, magnam partem, ignorat.

Quod ad curam attinet, morbos suo, non nominis pondere, pendere praecepi. Therapeutices naturalis diligentem feci mentionem, illique omne superstruendum esse medendi opus, docere et indicare conatus sum. Remedia commendavi pauca, plerumque notissima, longo usu probata. Quae nondum experientiae tulerunt suffragium, sine damno omitti posse videbantur. Qui semper multa et efficaciora remedia praescribunt, fieri non potest, quin saepissime opem suam Naturae magis obtrudant nolenti, quam volenti praestent. In quem errorem, ne vel a senibus prorsus alienum, in primis proclives sunt juvenes, cum aetatis fervore, tum juvandi desiderio ducti. Quapropter hos mature moneri oportet, ut parcâ potius quam prodigâ manu remedia praebeant aegrotantibus, neque id saevis praesidiis consequi studeant, quod remediis mitioribus praestare valent. Scio equidem, a Polypragmosynes Medicae, illiusque strenue agentis, fautoribus, quales et nostra et aliena fert tellus, jactari observationes, quae doceant, clavum clavo, per malleum fortius adacto, ejiciendum, morbos graves armis gravissimis impugnandos et expugnandos


esse. Quasi a paucis felicioribus exemplis, quae Naturae robustioris beneficio magis, quam Artis operâ contigerunt, inferri possit, experimenta facienda esse per mortes, id est, morbos semper sanandos esse veneno, ferro et igne. Medici alii, morborum quidem initio, a remediis stimulantibus, vim fere liquidi ignis habentibus, abstinere solent, in perversâ autem opinione versantur, neminem a morbo convalescentem, carere posse roborantibus, alexipharmacis, cardiacis, excitantibus. »Quod profecto," quae Huxhami verba sunt, »sic cum ratione conveniet, ac si quis partem »magni incendii prius supprimere velit, et mox post »ea residuam partem exstinguere anniteretur, adjecto »pulvere pyrio, aut vini spiritu." Solertia atque prudentia ut quemvis artificem, sic Medicum praesertim decet, natum ad salutem aliorum. Sed ex diverticulo in viam redibo. Haec enim, ut eleganter Hallerus, aeterno silentio premere, Medici interest, ne salutare nomen mortalibus fiat invisum.

Tandem in laudandis discendi et ulterius proficiendi subsidiis, Boerhavii iterum consilio obtemperare studui. Hic quippe in *Methodo discendi Artem Medicam*, Caput quod agit *de studio practico*, *seu de consilio faciendae Medicinae*, ab his auspicatus est verbis: »Hic in primis sollicitus commendabo auctores: nam

»errores hic erunt lethales aut periculosi; hinc quos »ipse tanquam optimos excussi, et qui communi »suffragio laudantur, commendabo; in hac re non »licet progredi, nisi pede fixo." Auctores tamen omissos esse qui laudari potuissent, ipse praevideo. Hos ab aliis mihi indicari gaudebo. Caeterum ingenue fateor, me minus etiam contendere ad laudem *Doctoris umbratici*, quam ad *Medici speculatoris* famam.

Praefationis finem faciant Tissoti verba. »Integrum »subjicio opus non innumerae judicantium turbae, »sed compendiosae judicum familiae; si probent, gran-»diora forsan meditabor."

Scripsi
Calendis Novembribus
1835.


BOSTON MED. LIBRARY. JAN 23 1911

Prolegomena.

§ 1.

Therapia specialis, quae et Praxis medica appellatur, ea est disciplinae medicae pars quae modum et praesidia docet, quibus hominum morbi detegantur, dignoscantur, praecaveantur, sanentur aut mitigentur.

§ 2.

Morbus vocatur conditio quaevis abnormis, in corpore praesens, quae ipsius laedit actiones et sensationem infert molestam. Aut, si essentialem velis definitionem, cum recentioribus dici poterit, vitae forma imperfecta atque aliena, organismi integritatem laedens.

§ 3.

Non difficulter ideo morbus in homine praesens detegitur, absente sanitate, id est eo statu, in quo omnia cum corporis tum animi munia cum euphoria, sive cum facilitate, constantia et oblectamento, peraguntur.

§ 4.

Quae tamen morbi praesentis scientia parum juvat, nisi eundem accuratius cognoscamus et dignoscere sciamus.

§ 5.

Complectitur autem morborum cognitio causas eorum et naturam, symptomata atque effectus.

§ 6.

Dignoscitur morbus, si eum ad genus quemque suum referre, et ab affinibus aut fere similibus morbis distinguere scias.

§ 7.

Praecavetur morbus, si causae evitantur occasionem

praebiturae, sique causae jam praesentes artis auxilio removentur.

§ 8.

Sanatio est conditionis morbosae in sanam mutatio.

§ 9

Quam quidem aegrotantibus Medicina promittit, nec tamen semper praestare valet. Quapropter morbos graves et insanabiles mitigare docet ars Medicorum.

§ 10.

Unde apparet, inter duplicem distingui Praxeos medicae partem, quarum altera *pathologica*, morborum naturam, altera *therapeutica*, curam morborum respiciat.

§ 11.

Intelligitur morbi natura e sedula symptomatum observatione; ex accurata causarum indagatione; ex juvantium et nocentium, quae vocantur, scientia; ex indole virium, quas Natura ad sanationem intendit; ex introspectis cadaveribus hominum, quorum morbi observati fuerant prius; ex monumentis denique eorum, qui in observandi arte excelluerunt. Quibus praesidiis eo magis proficiemus, quo magis videndi, comparandi et interpretandi artem calleamus.

§ 12.

Ex quibus constat de *observationis*, *analogiae*, *ratiocinii* in Medicina usu.

§ 13.

Celso monente, post inventam Medicinam quaesita est ratio. Ars igitur medica tota est in observationibus. Medicina non ingenii humani partus est, sed temporis filia. Baglivius.

§ 14.

Observando autem Medicus hunc finem assequi studet, ut accuratissimam habeat et animo suo complectatur, vitae, morbi, mortisque aegrotantium historiam. Repetitâ hâc observatione, eâque castâ ac diligenti, veram acquiret *experientiam medicam*, adeoque aptissimus erit ad salutem hominibus conciliandam.

§ 15.

Ad quos propriae observationis fructus accedant *aliorum* observationes et de rebus sibi observatis *testimonia*. Quapropter Medicum decet, omnem tenere artis suae historiam.

§ 16.

Analogia utimur, ut comparatione similium, dubia et obscura innotescant. Collatis quippe ignotis et dubiis cum iis, quae rite observata jam innotuerunt, de indole et curatione morbi incogniti argumentamur, a praeteritis ad futura arguentes.

§ 17.

Unde constat de summa hujus rationis praestantia in ipso medendi nogotio, ut vel ab altero ad alterum morbi ejusdem casum, vel ab una morbi specie ad aliam, vel ab una morbi sede ad diversam, vel a praesidiis morbi cognitis ad auxilia similia rationem ducamus, adeoque in usum transferamus experientiam.

§ 18.

Nec observatio tamen, neque historiae studium, neque cogniti ad similes casus translatio, ea, qua opus est, fide et prudentia fieri possunt, aut in exercenda arte multum prodesse, sine usu *rationis*. Hac morborum

causas et indolem; symptomata eorumque successiones; juvantium et nocentium rationem *interpretamur:* eo potissimum consilio, ut aptissimam inde eruamus medendi viam et modum.

§ 19.

Morborum sanatio Naturae opus est. Quod qui nescit, magnam Artis partem ignorat; nec fidem habet, nec fide dignus est. Ventis agitatur et undis.

§ 20.

Natura morbis medetur, vel per motus spontaneos, qui in corpore perficiuntur, vel per evacuationes criticas.

§ 21.

Quae a motu procedunt, Naturae adversus morbos eorumque causas praesidia diversi generis sunt. Aliquando rigores et tremores febriles, incitatior sanguinis motus, auctior universi corporis aut singularum partium calor, spasmi et convulsiones, vel generales vel particulares, aliique motus manifesti in aegrotante corpore locum habent, ut restituatur, a morbo turbatus, aequalis et placidus vitae cursus. Interdum quoque corpus intendit motus automaticos varios, praesciâ vel insciâ mente. Saepe etiam per partium consensum, conspirationem et antagonismum, aliosve motus obscuros, qui ex organicâ partium fabricâ et ex illarum viribus et dote variâ proficiscuntur, salutaris et ad morbum sanandum idonea, in corpore mutatio locum habet.

§ 22.

Evacuationes criticae per singula fieri possunt corporis colatoria: quae per diaphoresin, per diuresin, per alvum obtinent, reliquis frequentiores sunt.

§ 23.

Naturam imitari, regere, juvare potest Ars Medicorum.

§ 24.

Instrumenta, quibus Ars utitur ad morbos sanandos, adversae valetudinis praesidia vel medicamenta dicuntur.

§ 25.

Haec in tria genera diducta fuerunt: unum, quod *medicamentis*, alterum quod *victu*, tertium quod *manu* medetur.

§ 26.

Illud ante omnia scire convenit, quod omnes Medicinae partes ita connexae sunt, ut ex toto separari non possint, sed ab eo nomen trahant, a quo plurimum petunt. Ergo ut illa quae victu curat, aliquando medicamentum adhibet, sic illa quae praecipue medicamentis pugnat, adhibere etiam rationem victus debet, quae multum admodum in omnibus malis corporis proficit. Celsus.

§ 27.

Ut artificem instrumentorum, quibus operatur, naturam et vires, ita Medicum victus et remediorum virtutem rite callere oportet.

§ 28.

In quibus administrandis, Medicus observare et sequi debet ordinem, tempus et successiones motuum, quos Natura ad sanationen perficiendam intendit.

§ 29.

Neque solum morborum naturae et tempori, sed etiam universae corporis constitutioni, medicamenta rite conveniant.

§ 30.

Unde apparet difficultas, quae in cognoscendis et curandis hominum morbis est: cui succurrendum videtur cum observandi industriâ, tum imitando Naturae virtutem atque prudentiam.

§ 31.

Neque minus Naturam ducem sequi oportet in morborum ordine et dispositione.

§ 32.

Suffragante Naturâ probanda videtur morborum divisio in *acutos* et *chronicos*.

§ 33.

Qui *breves* vel *acuti* dicuntur morbi, febres sunt et inflammatio varia. Ad quam duplicem classem singula morborum acutorum genera apte possunt referri.

§ 34.

Quum ea, quae morborum genetrix est, corporis irritatio, initio saltem, frequentius *localis* sit quam *universalis*, naturae convenientius esse videtur, ut doctrinam de inflammatione praemittamus Pyretologiae.

De inflammatione.

§ 35.

Inflammatio aucta et mutata est vitae actio, generis potissimum vasculosi: unde repetendum est nomen Phlogoseos, morbi instar flammae, saevientis.

§ 36.

Omnes igitur partes, quae sanguiferis vasis instructae sunt, phlogosin seu inflammationem admittunt.

§ 37.

Neque tamen negare licet generis nervei in generanda inflammatione partes. Probabile est, nervos primo loco, ab alieno stimulo affici, vitam autem vasorum serius demum mutari.

§ 38.

Docent hoc potissimum istae phlogoses, quae à causa excitantur externa. Corpore alieno in cute aliàve sensili parte relicto, dolor suscitatus pro causa inflammationis potest haberi. Neque hic tamen confundendus cum dolore, qui inflammationis effectus est.

§ 39.

In quavis igitur inflammatione haec locum habet phaenomenorum successio; irritatio a causâ aliquâ, vel excitante dolorem, vel solam sensilitatem organicam afficiente; auctior humorum affluxus; vita partis affectae mutata et incitatior; ea tandem symptomata, quae factam inflammationem comitantur, aut ejusdem effectus sunt.

§ 40.

Vitam partis mutatam declarant cum nervorum, tum praesertim vasorum turbae: mutantur in parte inflammata sensilitas, motus humorum, nutritio, absorptio, secretio varia.

§ 41.

Eam tamen vitae vim, quam *organicam*, *plasticam* vel *conformatricem* dixerunt, in inflammatione potissimum auctam esse, praeter habitum sanguinis parte fibrosa et albumine ditioris, neque raro crustâ pleuriticâ tecti, nova docet vasorum, pseudo-membranarum, aliarumque partium generatio.

§ 42.

In genere vasculoso ad vasa tenuissima, quae capillaria vocantur, inflammationis sedes restricta videtur, unde probabile est, in minutissimis quoque nervorum extremis sensilitatem potissimum auctam esse.

§ 43.

Quid in vasculis iis minimis fiat, oriente inflammatione, docuerunt observationes Thomsoni, Wilsoni, aliorum. Ad partem quippe irritatam undique affluere videtur sanguis motu rapidiori, donec vascula minima praeter modum sint dilatata: priorem hanc periodum sequitur altera, in quâ lentissime movetur sanguis, in coagulationem proclivior: aliquando denique motus rapidior sanguinis retardatum illius fluxum, per vices alternas, excipit. In universum tamen statuendum videtur, celerius sanguinem fluere in partibus inflammationis loco vicinis, lentius autem moveri in irritationis foco.

§ 44.

Est igitur inflammatio cum incitatior, tum modo peculiari mutata vitae organicae actio, quae mutatae debetur virium vitalium in genere nervoso et vasculoso naturae.

§ 45.

Rubor, calor, tumor et dolor signa sunt inflammationis externae, a Celso jam memorata. Ad haec accedunt quandoque symptomata sympathici generis, febris praesertim cum pulsu duro et celeri.

§ 46.

Rubor partis inflammatae repetendus est ab auctiori affluxu sanguinis arteriosi, tum etiam ab illius ingressu in vascula minima, quae capillorum tenuitatem referunt

§ 47.

Calor partis inflammatae ad majorem sanguinis impetum, ad sensilitatem partis auctiorem et ad perspirationem in cute aegrotante suppressam referri meretur. In inflammatione graviori ipsae, quae a corde et a pulmonibus peraguntur, functiones in consensum rapiuntur, et maximas ad augendum calorem conferunt partes.

§ 48.

Partem inflammatam tumere, cum ex orgasmo sanguinis auctiori, tum ex eodem in mediâ parte inflammatâ lentissime moto, tum denique ex aucto telae cellulosae turgore vitali, explicandum videtur.

§ 49.

Dolores, qui factam inflammationem sequuntur, ex turbatâ vitae ratione, ex auctâ et mutatâ praesertim sensilitate nervorum, intelligi poterunt.

§ 50.

Neque alio modo explicanda sunt symptomata sympathici generis. Inter haec principem locum tenet febris, quae inflammationis cujuscumque gravioris comes aut finis est.

§ 51.

Irritatio quippe, quae ab initio solam occupabat partem inflammatione affectam, si ejus est generis, ut superari nequeat ab aucta vita locali, cum universo genere nerveo et vasculari communicatur, eo effectu, ut incitetur cordis et pulmonum actio, ut augeatur corporis calor, ut reliqua oriantur symptomata, quae febrem adesse declarant.

§ 52.

Unde explicanda sunt vitae cum organicae tum animalis symptomata, quae in inflammatione graviori, quam induxerunt vulnera, contusiones, aut aliae causae externae, adesse consueverunt.

§ 53.

Difficilius cognoscitur inflammatio, quae partes occupat interiores, a sensibus nostris remotas. Hanc adesse declarant doloris ratio, modus, quo functiones laesae sunt, indoles causarum, quae occasionem praebuerunt, natura febris, quae comitatur morbum.

§ 54.

In inflammatione autem cum externâ tum internâ, symptomatum ratio differt pro partium affectarum structura atque functione, tum etiam pro causarum diversitate.

§ 55.

Disponunt ad hoc morbi genus aetas juvenilis, adulta; robur corporis conjunctum tamen cum parte aliquâ debilitatâ; temperamentum sanguineum et cholericum; generis vasculosi irritabilitas.

§ 56.

Occasionem praebent irritamenta quaecumque, quibus vita vasorum augetur; laesiones mechanicae; nimium frigus vel calor; incitatior corporis motus; animi pathemata; suppressae excretiones naturales vel consuetae; miasmata, contagia, venena.

§ 57.

Secundum *causas*, *sedem*, *cursum*, *indolem*, *exitum*, in species dispescitur inflammatio.

§ 58.

A causis petitur inflammationis distinctio in *idiopathicam* et *sympathicam*. A causarum indole pendet inflammatio *simplex* seu *vulgaris*, et *implicita* sive a stimulo aliquo peculiari inducta.

§ 59.

Situ differunt *erysipelas* atque *phlegmone*. Haec inflammatio fixa est, circumscripta, profundius rubra, quae partes occupat interiores. Erysipelas inflammatio est superficialis, roseo colore tincta, marginibus non circumscripta, magis tumens quam dolens, in vicinas partes facillime migrans.

§ 60.

A cursu distinguitur inflammatio in *acutam* et *chronicam*; in *continentem*, *remittentem*, *periodicam*.

§ 61.

Ab indole utilissima petitur distinctio in *puram* et *impuram*; in *erethicam* et *torpidam*.

§ 62.

Ab exitu distinxerunt auctores inter inflammationem *exsudativam* et *suppurativam*; *benignam* atque *malignam*.

§ 63.

Prognosis pendet ab inflammationis vehementia, natura, causis; a partis inflammatae in oeconomia animali usu; a febre ejusque indole; ab universa aegrotantis constitutione.

§ 64.

Terminatur inflammatio *resolutione*, *exsudatione*, *suppuratione*, *induratione*, *gangraena*.

§ 65.

Resolutio obtinet, si irritatio sponte dissipatur, sine facta evacuatione manifesta. Calor et rubor sensim disparent, dum tumor, aucta vasorum absorbentium actione, minuitur atque deletur. Neque tamen cum resolutione confundi oportet inflammationis metastasin.

§ 66.

Exsudatio est effusio magis minusve copiosa fluidi serosi, per secretionem morbosam formati, in telam cellulosam, vel in conceptacula corporis majora. Fluido illo majorem continente materiae fibrosae copiam, partes sibi vicinae conglutinantur, vel pseudo-membranae formantur.

§ 67.

Si inflammatio eam vehementiam habet, ut per resolutionem aut exsudationem terminari nequeat, transit in *suppurationem*, id est in secretionem peculiarem vasorum, quorum vita et agendi ratio, inflammationis vi, notabilem mutationem subierunt.

§ 68.

Secretione ista nova formatur pus, id est fluidum album, aequabile, modice crassum, subpingue, omni foetore carens.

§ 69.

Indicant suppurationem futuram major inflammationis vigor; caloris augmentum; cutis sicca et tensa, profundius rubra; aucti dolores; sensus pulsationis.

§ 70.

Factae suppurationis in parte externa, signa sunt, dolores cessantes; caloris imminutio; albicantis apicis formatio; tumoris emollitio; sensus fluctuationis.

§ 71.

Fieri suppurationem internam, probabile est, si inflammationis signa, sine praegressa resolutione, minuuntur, neque pars tamen ad actionem naturalem revertitur; si aegrotantes queruntur de pressionis vel ponderis sensu in parte affecta, cum horrore vago et sensim nascentibus febris hecticae signis.

§ 72.

A suppuratione distinguenda est *ulceratio*, cujus quippe effectu, partes affectae non resarciantur, sed sui jacturam faciant.

§ 73.

Neque minus partis inflammatae structura vitiatur in isto inflammationis exitu, quem *indurationem* vocant.

§ 74.

Quâ ratione induratio fiat in parte inflammata, nondum satis liquet. Videntur humores, in telam cellulosam effusi, praeter modum coacervari, et, deficiente impulsu vitali, in corpus durum, aequabile, sensim concrescere. Quapropter partes, vitae energeiâ parum valentes, ut v. c. glandulae, in indurationem praesertim proclives sunt.

§ 75.

Similis, ac inter suppurationem et ulcerationem, inter *indurationem* et *scirrhum* notatur differentia. Hic quippe non genuinae et simplicis, sed implicitae et cum dyscrasia humorum conjunctae, inflammationis effectus est.

§ 76.

Ad scirrhum disponunt labes haereditaria, aetas provectior, temperamentum melancholicum. Occasionem

praebent violentiae externae; menostasia, quae praeter naturam, aut consuetâ vitae periodo fit; animi pathemata deprimentia; partis inflammatae aut induratae longa et incongrua medicatio.

§ 77.

Si ab inflammationis vehementiâ humorum crasis, vel solidorum conditio adeo vitiatur, ut vitae phaenomena in parte, quae focus fuit inflammationis, vel penitus vel maximam partem extinguantur, *gangraena* aut *sphacelus* nascitur.

§ 78.

Huic vitio occasionem praebent, quaecumque inflammationem ad summum augent, fluxum sanguinis impediunt, partis fabricam laedunt, vim vitae supprimunt vel praeter modum debilitant.

§ 79.

Signa, quae exitum inflammationis in gangraenam declarant, sunt: dolor et calor subito et sine causâ manifestâ cessantes, praegresso summo utriusque vigore; color cinereus, fuscus, lividus, niger; partis, post summam tensionem, flacciditas aut pultacea emollitio; vesiculae, ichore tenui subflavo vel rubello repletae; sensus omnis exstinctus; subinde etiam foetor cadaverosus.

§ 80.

Ortam gangraenam in partibus, quae ab oculo explorante remotae sunt, indicare solent: sensuum stupor; animi depressio; agrypnia; delirium mite; summa debilitas; frigus partium extremarum; sudor viscidus, omni calore vitali carens; pulsus debilior cum celeritate notabili.

§ 81.

Distinguunt Medici inter gangraenam *siccam* et *humidam.* In priori specie, quae etiam *sphacelus* vocatur, pars mortua contrahitur et arida fit, cutis summa a corio non separatur, dolores saepe exigui sunt. In specie posteriori epidermis elevatur in bullas, quae tandem rumpuntur et saniem foetidissimam stillant; dolores majores sunt propter irritatas partes vicinas, in quibus superstes est inflammatio.

§ 82.

Inter varios exitus, quos inflammatio habet, *resolutio* et *suppuratio* maxime salutares sunt, quia utrisque naturalem partium conditionem restituere conatur Natura: *exsudatione* contra, *induratione*, *ulceratione* atque *gangraenâ* omnis deletur partium aegrotantium fabrica.

§ 83.

Natura medetur inflammationi, modo vel obscuro, vel manifesto. Saepissime locum habet resolutio plena et salutaris, quam auguramur ex symptomatum naturâ, concursu et successione. Ad inflammationem vel arcendam, vel praesentem sanandam faciunt sanguinis fluxus, vel ex parte ipsa, vel e parte aliqua dissita, motus febrilis varius, diuresis critica, aucta perspiratio cutis, abcessus, metastasis.

§ 84.

Indicatio therapeutica jubet iis remediis uti, quibus auctior renitendi vis, quae in genere vasculoso notatur, reducatur ad normam.

§ 85.

Medicus huic indicationi respondet: 1) removendo

causas, quae occasionem praebuerunt, vel factam inflammationem alunt augentque; 2) minuendo irritationem, quae in genere vasculoso totius corporis, vel partis inflammatae animadvertitur; 3) promovendo molimina critica.

§ 86.

Causas, quae occasionem praebuerunt, non impugnare licet, nisi perduraverint, aut noxiam vim exercere pergant. Quod si fiat, prudenter et quantocyus auferendae sunt.

§ 87.

Sedant irritationem et inde excitatam vitam auctiorem generis vasculosi: 1) detractio sanguinis vel universalis, vel localis; 2) remedia diluentia, refrigerantia, antiphlogistica; 3) remedia derivantia, externa, interna; 4) victus parcus, et tenuis; corporis animique quies.

§ 88.

Crisin vel *judicationem* morbi salutarem promovemus congruâ medicatione locali, et iis remediis, quae auxilientur Naturae, in diaphoresi, diuresi, excretione alvi, aut evacuatione aliâ, vel restituendâ, vel excitandâ. Subinde etiam excretiones fiunt insolitae, ut v. c. haemorrhoides fluentes, sputa copiosa, abcessus metastatici; arte vel regundae vel adjuvandae. Quo officio Medicus fungitur congruo moderamine vitae, temperandae, si nimia virium intentione utatur, excitandae, si torpeat praeter modum.

§ 89.

Cura ipsius partis inflammatae ea esse debet, quâ promoveatur resolutio, reliqui autem exitus, exceptâ tamen suppuratione, praecaveantur.

§ 90.

Inter remedia localia, quibus utimur in inflammatione, principem locum tenent hirudines, cucurbitae cruentae, fomenta frigida, calor humidus et siccus; aliquando etiam remedia, vel revellendo vel derivando proficua.

§ 91.

Indicantur autem *hirudines* in inflammatione, quae cuti proxima est, neque tamen hanc ipsam occupavit, et in omni inflammationis genere, quae ab irritatione cordis et vasorum majorum immunis est.

§ 92.

Si inflammatio localis excitaverit irritationem universi generis vasculosi, opus est detractione sanguinis generali, quâ etiam carere non possumus, si inflammatio acuta in corpore plethorico nata est. Saepe utroque praesidiorum genere indigemus, ita ut institutam venae sectionem excipiant hirudines.

§ 93.

Similem, quam hirudines, vim habent *scarificationes*, quae dicuntur, et *cucurbitae cruentae*. Illae potissimum conveniunt in inflammatis partibus, quibus hirudines admoveri non possunt, in inflammatione gravi tunicae adnatae oculorum, tonsillarum, uvulae, linguae, aut etiam ipsius cutis. Has praecipue adhibemus, si sanguinis detractio localis in magnâ corporis superficie, in toto abdomine v. c., aut ad ductum totius vertebrarum columnae, instituenda est, aut, si praeter evacuationem sanguinis, revellendi scopum habemus, in inflammatione v. c. articulorum.

§ 94.

Epithemata frigida prosunt in inflammatione idiopathicâ, recenter factâ, in contusione praesertim et ambustione, quamdiu in primo stadio sunt, neque irritatione suâ excitarunt orgasmum universalem. Nocent in inflammatione internâ et provectiori. In universum, magis valent ad praecavendam inflammationem futuram, quam ad sanandam praesentem.

§ 95.

Fomenta calida, cataplasmata v. c. farinacea, salutaria sunt in inflammatione, quam tumor et dolor comitantur graviores. Pro vario inflammationis gradu, promovetur, cataplasmatum calidorum usu, vel resolutio, vel suppuratio.

§ 96.

Epithemata, quae sicca sunt et modice calent, quaeque parata ex farinâ, amylo, herbis aromaticis, aliis, vel nudae cuti adsperguntur et imponuntur, vel linteo involuta aegrotanti parti admoventur, in inflammatione conveniunt erysipelatosâ, arthriticâ, rheumaticâ, quaeque aliae *impuri generis* sunt, aut *mixtae* vocantur.

§ 97.

Inflammatio vera omnem remediorum roborantium et adstringentium usum excludit. Haec tamen prodesse valent in inflammatione *spuriâ*, cujus exempla videmus in pernionibus et in partibus congelatis.

§ 98.

Quae *revellendi* aut *derivandi* consilio adhibentur praesidia, sinapismi, vesicatoria, setacea, fonticuli, balnea pedum etc. prosunt praecipue in inflammatione

sympathicâ, deuteropathicâ, impurâ, chronicâ: interdum quoque in inflammatione generis acuti, praemissis, vel etiam, pro rerum ratione, repetitis detractione sanguinis, universali, partiali.

§ 99.

Magna igitur in medicamentis quoque externis, ad phlogosin sanandam facientibus, notatur diversitas, quam accurate cognoscat Medicus, qui isti morborum generi feliciter mederi cupit.

§ 100.

Non omnis tamen inflammatio ejus est generis, ut resolutione benignâ terminetur in sanitatem. Multae phlogoses mixtae aut impurae sunt. In aliis occasio adeo praeceps est, ut vel peritissimus Medicus subinde fallatur. Quapropter cura quoque habenda est *exsudationis*, *suppurationis*, *indurationis* atque *gangraenae*, in quas morbus saepissime terminatur.

§ 101.

Si inflammatio exitum habuerit in *exsudationem*, utique humoris, in telam cellulosam aut in cavum aliquod effusi, resorptionem promovere oportet medicamentis, ad hominis aegrotantis et ad morbi naturam compositis. Eo consilio, praeter venae sectionem et remedia discutientia topica, subinde conveniunt ea, quae vel perspirationem, vel diuresin, vel excretionem alvi movent augentque. Sunt etiam remedia, quibus vasorum absorbentium vis insigniter intendi videtur.

§ 102.

Inflammatione vergente in *suppurationem*, haec aliquando promovenda est ejusmodi remediorum internorum usu, quae febri et symptomatibus reliquis re-

2 *

spondent, tum etiam medicamentis externis, suppurationem adjuvantibus, ad vim vitae et sensum in homine et in parte aegrotante compositis.

§ 103.

Facta suppuratione, puri exitus conciliandus est. Opus hoc Naturae relinquitur, si suppuratio ambitum minorem habet et cuti proxima est. Arte abcessus est aperiendus: 1) si structura partium, in quibus suppuratio residet, densa, stipata et parum extensilis est; 2) si pus in profundo haeret, sub musculis, sub aponeurosi; in articulorum, ossium aliarumve partium notabiliorum viciniis; 3) si abcessus aut critici aut metastatici generis sunt, ut bubones in febre puerperali, parotitis suppuratoria post febrem inflammatoriam; 4) si tensionis sensus atque dolores acerbiores sunt, aut si urgent symptomata sympathici generis.

§ 104.

Quando et quare expediat, vel *scalpello ancipite* sive *lanceola*, vel *acu triquetra*, vel remedio *caustico*, vel denique *setaceo* uti, in scholis Chirurgorum docetur.

§ 105.

In cura *indurationis*, quae sequitur inflammationem praegressam, ea adhibenda sunt remedia externa et interna, quibus actio vasorum absorbentium incitatur, humorum vero ad induratam partem affluxus minuitur. Abstineatur a stimulantibus, quorum abusu scirrhum malignum generari constat. Si permittunt vires et universa aegrotantis constitutio, pars indurata cultro potest auferri.

§ 106.

Praesente *gangraena*, agendi indicatio his fere continetur: 1) ut praecaveatur major ejusdem progressus; 2) ut naturam juvemus in separanda parte mortua; 3) ut impediatur ichoris gangraenosi resorptio; 4) ut vires corporis aegrotantis alantur et restaurentur.

§ 107.

Ut satisfiat vario huic medendi consilio, interna remedia accommodata sint ad febris indolem et ad virium conditionem. Si v. c. post validam laesionem, aut causam aliam, pravâ naturâ insignem, ex inflammatione facta gangraenam nascendam praevideamus, si febris vehemens cum pulsu duro notetur, si calor ad extrema corporis usque pertingat, si urina coloratior fuerit, et symptomata reliqua his signis respondeant: non ob gangraenam, sed ob inflammationem, quae oriundae gangraenae metum facit, venae sectio instituenda, et alia febris moderandae praesidia adhibenda sunt. Si contra vis vitae insigniter debilitata est, cortex Peruvianus, acida mineralia, haustus vini generosi et analeptica alia commendari merentur.

§ 108.

Localis medicatio dirigatur ad statum partis gangraenosae et partium vicinarum, in quibus vita superstes est. Unde constat, methodum medendi, cuivis generi accommodatam, vix definiri posse.

§ 109.

De sananda inflammatione optime praeceperunt Hippocrates, Sijdenhamus, Boerhavius aliique Artis medicae principes. De cognoscendo autem hoc morbi genere magna fuerunt recentiorum Naturae interpre-

tum merita, Johannis Hunteri praesertim, Thomsoni atque Gendrini. Quorum scripta ideo legantur, ut saniorem habeamus inflammationis theoriam. Historiam autem doctrinae, quam professi sunt Medici antiquiores, post phaenomena observata quaerentes causam, copiose exposuerunt Swietenius atque Burserius.

J. Hunter, Treatise on blood, inflammation and gunschot wounds. London 1794; vers. germanic. Leipzig 1796 & 1800; trad. franc. par J. Dubar, Ostende an. VII, III voll. 8vo.

J. Thomson, Lectures on Inflammation, exhibiting a view of the general doctrines pathological and practical of medical Surgery. Edinb. 1813, II voll. 8vo.; edit. nov. 1823. 8vo.; vers. german. Halle 1820, 8vo.; Franco-gallica, Paris 1827, 8vo.

A. N. Gendrin, Histoire anatomique des inflammations. Paris 1826 & 1827, II voll. 8vo.; vers. germ. Leipz. 1828 & 1829.

De inflammatione partium singularum.

§ 110.

Quum singulae corporis humani partes suam habeant vivendi, sentiendi, agendi rationem, singulis quoque sua esse morborum genera, aut morborum saltem mutatas formas et species, ex ratione et analogiâ augurari possumus, ab experientia autem comprobari videmus.

§ 111.

Quod de reliquis morbis valet, praesertim valet de inflammatione; quippe quae vitae mutatae species morbus sit maxime frequens atque communis, ita ut nulla fere sint organa, aut organorum, ut vocantur, systemata, quae ab inflammatione immunia sint.

§ 112.

Ut igitur inflammatio rite cognosci et curari possit, ad partium, quas adoritur, diversitatem sedulo attendendum est. Si enim et in telâ simplicissimâ, sive organismi elementis, et in vario organorum, sive partium compositarum, apparatu, cum fabricam, tum proprietates vitales insigniter differre videamus, fieri non potest, quin in singulis quoque differat inflammatio.

§ 113.

Quapropter in explicandâ inflammatione partium singularum, eum ordinem secuti sunt scriptores recentiores, ut vel fabricae et compositionis, viriumque, quae has sequuntur, vitalium habuerint rationem praecipuam, vel ad functiones a vario organorum apparatu perficiendas, praesertim attenti fuerint, ab iisque ordinis ac divisionis fundamentum petiverint.

§ 114.

Philippus Pinellius quippe a partium compositione et fabrica, a vario potissimum membranarum et organorum apparatu, suam duxit inflammationis partium singularum divisionem, ita ut has in ordines et genera distinxerit, pro diversitate, quae inter membranas varii generis notatur, aut in organis compositis animadvertitur. Hanc autem doctrinam perfecit magnus magni praeceptoris discipulus Xavierius Bichatus.

§ 115.

Inscribuntur quinque Pinellii ordines, in ultimâ Nosographiae philosophicae editione: *Phlegmasiae cutaneae*; phlegmasiae *membranarum mucosarum*; *serosarum*; *telae cellulosae* et organorum *parenchyma* aliquod con-

tinentium; telae *muscularis*, *fibrosae* et *synovialis*. Ad primum ordinem *exanthemata* referuntur, tum quoque genera quaedam, quae ab aliis *impetigines* vocantur. Ad secundum ordinem pertinent *Ophthalmia*, *Coryza*, *Otitis*, *Angina* varia, *Catarrhus pulmonum*, *Gastritis*, *Enteritis*, *Diarrhaea catarrhalis*, *Dysenteria*, *Catarrhus vesicae*, *Blennorrhagia urethralis*, *Leucorrhoea*, *Aphthae*. Ordo tertius complectitur *Phrenitidem*, *Pleuritidem*, *Pericarditidem*, *Peritonitidem*. Ad ordinem quartum haec genera relata sunt: *Phlegmone*, *Parotitis*, *Nephritis*, *Metritis*. Ordini quinto quinque adsignantur morborum genera, *Rheumatismus muscularis*, *Diaphragmitis*, *Rheumatismus intestinorum* et *vesicae*, *Rheumatismus fibrosus*, *Arthritis*.

§ 116.

Quâ ratione functiones ipsae, a vario organorum apparatu perficiendae, divisionis fundamentum praebuerint, ex sequenti schemate intelligi poterit:

I. Inflammationes partium, quae instrumenta sunt *vitae animalis:* Encephalitis, Myelitis, Ophthalmia, Otitis etc.

II. Organorum *respirationi* et *circulo sanguinis* servientium: Laryngitis, Tracheitis, Pleuritis, Peripneumonia, Diaphragmitis, Carditis.

III. Organorum, quae *digestioni* dicata sunt: Parotitis, Glossitis, Angina pharyngea, Gastritis, Enteritis, Hepatitis, Splenitis.

IV. Organornm ad *uropoësin* et *generationem* pertinentium: Nephritis, Cystitis, Metritis, Peritonitis.

§ 117.

Ex utroque divisionis exemplo apparet, phlogoses,

a quibus praecipuae corporis humani partes vexantur, ad ordines quosdam aut genera summa, duce vel Anatomiâ generali vel Physiologiâ, relatas fuisse; adeoque in alterâ divisione, *structurae* et *compositionis* partium mutuaeque, quam inter se aut cum aliis habent, *relationis;* in alterâ vero, virium, quibus vita declaratur, *sensilitatis*, *irritabilitatis*, et *reproductionis*, aut functionum, quae his respondent, *sensuum*, *motuum*, et *nutritionis*, rationem haberi praecipuam.

§. 118.

Licet in distinguendo ac discernendo, in curando praesertim, inflammationis genere vario, ad functiones partium et ad vitae rationem, quae in diverso organorum apparatu notatur, sedulo attendendum sit, divisio tamen ista, Physiologiae superstructa, non satis naturalis esse videtur, ut probari mereatur. Plura quippe inflammationis genera conjunguntur, quae vix ullam habent affinitatem, inflammatio v. c. cerebri et medullae spinalis cum ophthalmia et otitide, inflammatio laryngis cum pleuritide, angina pharyngea cum hepatitide, inflammatio renum cum peritonitide; alia contra disjunguntur, quorum cognatio magna est, ut v. c. inflammatio laryngis et pharyngis, pleuritis et peritonitis.

§. 119.

Majorem laudem meretur divisionis fundamentum, ab Anatomiâ generali ductum. Attenta quippe observatio docuit, in vario membranarum apparatu insigniter differre inflammationis naturam, causas, symptomata atque effectus; neque minorem notari diversitatem in organis singulis, ex cellulosâ, membranis, nervis, varioque vasorum genere, ratione et proportione diversâ, composi-

tis. Neque tamen et hanc divisionem probari posse, plura sunt, quae luculenter doceant. Exanthemata quippe, aphthae, diarrhaea, dysenteria, rheumatismus, arthritis, perperam a Pinellio aliisque ad phlogosium classem relata fuerunt. Neque etiam morbi, qui in simili membranarum aut organorum apparatu sedem habent, ita inter se conveniunt, ut eadem sit symptomatum et curationis ratio. Quam dispar natura est inter pleuritidem et phrenitidem membranosam, inter peripneumoniam et inflammationem hepatis?

§. 120.

Praestat adeo nullum ordinem sequi, quam naturae non satis consentaneum. Praeterea classificatio illa hoc incommodum habet, quod separentur genera morborum valde affinia, et saepissime secum invicem conjuncta: inflammatio v. c. cerebri et membranae serosae cerebrum succingentis, pleuritis et peripneumonia, hepatitis membranacea et parenchymatosa. Quapropter in explicanda inflammatione partium singularum, nullam adhibebimus divisionem artificialem, sed genera praecipua ita interpretabimur, ut affinitatis naturalis, quantum fieri poterit, memores simus.

§ 121.

Neque tamen negligatur inflammationis, varium membranarum apparatum occupantis, studium diligentissimum. Ab hoc quippe fonte omnis accuratior inflammationis doctrina manavit, ejusque major perfectio exspectari praesertim potest. Quo melius enim sciamus omnem inflammationis diversitatem, a partium structurâ variâ, a sensilitatis gradu et specie, a secretionis quo funguntur, munere diverso, a relatione earum

multiplici, aut a conditionibus aliis repetendam, eo pleniorem habebimus inflammationis pathologiam. Quapropter diligenter consulantur illi scriptores, qui locum hunc difficilem datâ operâ interpretati sunt.

De Phrenitide.

§ 122.

Phrenitis antiquioribus Medicis dicebatur delirium quodcumque perpetuum, cum febre acutâ conjunctum, iis praesertim proprium, quibus praecordia dolere videbantur. A recentioribus vero sola cerebri, ejusve membranarum, inflammatio *Phrenitis*, vel potius *Encephalitis* vocatur.

§ 123.

Quaecumque igitur tum diaphragmatis, pleurae, pulmonum, tum ventriculi aliorumque viscerum inflammationem quandoque comitantur deliria, non nisi *Phrenitides spuriae* aut *deliria symptomatica* dici merentur.

§ 124.

Neque tamen in Phrenitide verâ aut idiopathicâ symptomata adeo firma sunt et constantia, ut characteres indicare possis, soli inflammationi encephali proprios.

§ 125.

Frequentissime autem haec fere signa notantur: febris urget acuta atque continua, continuusque mentis error, modo his, modo aliis animae vitiatis actionibus; expeditus in omnem audaciam homo est, et vicissim tum vigiliis, tum somno difficili turbulentoque impe-

ditur, sic ut interrupta quiete protinus cum impetu e cubili prosiliat, vociferetur, ferociat, ac modo ploret, modo cantet, verbaque sine sensu, sine ordine proferat, interrogatus ab alio omnia aliena respondeat. Oculis insolita mobilitas accessit, hique cruenti, flammei, squalidique sunt, quos aeger crebro perfricat, modo siccos, modo lacrymis perfusos; lingua autem aspera et nigra est, dentes stridore quatiuntur, saepeque cruor e naribus aliquis fertur, et interdum posteriora capitis dolent. Aeger manibus tremit, digitisque floccos vellit, et festucas e stragulis legit. Urina est tenuis, flammea, interdum etiam (quod pessimum esse judicatur) tenuis albaque est. Lommius.

§ 126.

Ut tamen pleniorem habeamus morbi imaginem, inter phrenitidem *primariam* et *secundariam* distinguendum est, tum quoque ad variam inflammationis sedem accuratius attendi oportet.

§ 127.

In phrenitide *primaria* quippe aliquando prodromi adsunt, qui morbum graviorem portendunt: congestio ad caput, rubor oculorum et faciei, carotidum pulsatio, gravis cephalalgia, functionum animalium turbae, quales sunt agrypnia, vertigo, photophobia, susurrus aurium, inquietudo, tristitia, anxietas, oblivio. Opposita etiam animi pathemata quandoque praecedunt, ut hilaritas, petulantia, loquacitas insolita. Quibus signis praegressis, aut etiam deficientibus, ipsa notantur inflammati encephali symptomata, delirium praesertim perpetuum, cujus magnitudini neutiquam respondet magnitudo febris, quae ab inflammatione fuit excitata.

§ 128.

Phrenitides autem *secundariae*, quae originem habent vel sympathicam vel metastaticam, ex aliis morbis acutis oriuntur, quales sunt febres inflammatoriae, febres nervosae, variolae, erysipelas, scarlatina, alia. In hoc phrenitidis genere symptomata saepe minus manifesta sunt et lentius crescunt. Quo in casu ut distinguatur inter encephali inflammationem atque deliria sympathici generis, attendas praesertim ad aegrotantium decubitum, faciem, vultum et vocem, tum quoque ad febrem et ad organorum, quae in abdomine sunt, conditionem.

§ 129.

Praesertim tamen magna symptomatum varietas repetenda est a sede inflammationis diversâ. Inflammatâ quippe membranâ arachnoïdeâ, notantur delirium ferox, vigiliae perpetuae, anxietas summa, convulsiones activi generis, aegrotantibus consurgentibus, aut violenter quaedam manu facientibus; oculi protuberantes, fulgentes sunt, vasculis conjunctivae sanguine turgidis; pulsus contractus, duriusculus, celer; rapidior morbi decursus; illaesa tamen respiratio, donec exsudatio orta fuerit. Inflammationi contra *parenchymatosae*, quam subinde praecedit dolor capitis obtusus et gravativus, haec signa propria sunt: delirium taciturnum aut sopor, ita ut aegrotantes non nisi intra verba desipiant; oculi fixi aliquando tamen lucem fugientes, pupillâ valde contractâ; ad finem morbi languidi saepe vel lemis oppleti, cum iride resolutâ; pulsus mollis, debilis, irregularis; torpor et stupor universalis; respiratio mature jam impedita, difficilis, stertorosa.

§ 130.

Utrumque vero morbi genus aliquando conjunctum

est, ita ut signa pulpae cerebri inflammatae cum symptomatibus inflammationis *membranaceae* simul adsint, aut haec excipiant.

§ 131.

Disponunt ad phrenitidem juventus, temperamentum sanguineum et cholericum, habitus apoplecticus, generis vasculosi et nervei irritabilitas, ingenium alacre, magna imaginationis vis, animique mobilitas.

§ 132.

Occasionem praebent laesiones mechanicae, aëris aestus, insolatio, animi pathemata impetuosa, immoderata mentis exercitatio, spirituosorum abusus, vigiliae protractae, excretionum naturalium, aut earum, quae in consuetudinem abierunt, suppressio.

§ 133.

Phrenitis inter morbos pertinet, qui pleni discriminis sunt. Terminatur plerumque in mortem, trium quatuorve dierum tempore, septimumqne raro transgreditur. Qui inflammatam habent membranam arachnoïdeam, ut plurimum, convulsi pereunt. In iis, quibus cerebrum inflammatum est, vel sopor omniumque virium resolutio, vel cerebri et pulmonum paralysis scenam absolvunt. Infausta praesertim morbi prognosis est, si in corpore debilitato oritur, aut febri cuidam, variolis confluentibus, similibusque morbis, supervenit.

§ 134.

Mortem minantur urinae aquosae; vomitus aeruginosus; stridor dentium; manducatio involuntaria; sputatio frequens in adstantes; vox tremula aut balbutiens; aphonia; deglutitio difficilis; adipsia; pervigilium

diuturnum; convulsiones; subsultus tendinum; carphologia; sopor; albicans dejectio; sudor frigidus; faciei deformatio; oculi pulverulenti, fixi, magnitudine inaequales; pupillae dilatatae, immobiles.

§ 135.

Salutem promittunt, morbi initio eveniens, narium haemorrhagia larga, haemorrhoidum fluxus vel menstrua purgatio, sudor universalis, urina cocta cum levi sedimento, parotides suppurantes, somnus reficiens.

§ 136.

Mortuorum inspectio docuit, inflammationis signa adesse vel in cerebro ipso, vel, quod saepius fit, in cerebri membranis. Arachnoïdeae inflammatione praegressa, vascula tenerrima, quae membranae serosae subjacent, sanguine turgent, aut exsudatio facta fuit fluidi serosi, fibrosi, albuminosi, purulenti; aut etiam lacteam albedinem et crassitiem majorem refert tunica, in statu sano tenuissima et perfecte pellucida. In pulpa cerebri difficilius signa praegressae inflammationis deteguntur: aliquando tamen ipsum parenchyma colorem refert, qui cum faecibus vini comparatur, aut dissectum vascula exhibet copiosissima sanguine plena. Praeterea cernuntur subinde emollitionis, indurationis, suppurationis symptomata.

§ 137.

Saepe tamen capita hominum, morbo capitis consumtorum, aperta sunt, in quibus nil commemorabile repertum est, quod mortem intentasset; et cum alioquin Medicus aut abcessum aut simile quid repertum iri pronunciavisset, spem augurantium ipsa inspectio fefellit, eorumque fiduciam et exspectationem in stuporem ver-

tit, ac si cum ipsa anima mortis occasio evolasset. — Quam Ballonii sententiam multae probant Morgagnii (Epist. VII artic. 2, 3, 4, 6, 8.) aliorumque observationes, quae luculenter docent, in hoc potissimum morborum genere judicium esse difficile.

§ 138.

Indicatio jubet auferre causas, quae occasionem praebuerunt, quaeque nocere pergunt; promovere inflammationis resolutionem.

§ 139.

Ut satisfiat indicationi priori, Medicus quantocyus tollere studeat causas laedentes, ut v. c. fragmenta ossium, sanguinem e vasis egressum, alia: quem in finem subinde opus est *terebrae* usu, aut incisione profundâ in integumenta capitis. Praeterea impugnanda est stimulorum sympathicorum vis, ab haemorrhagiâ suppressâ, ab exanthemate retropulso, aliisve causis oriundorum.

§ 140.

In periculo tam praecipiti festinanter succurrendum, valentissimisque praesidiis ad resolvendam inflammationem utendum est. Conveniunt, larga sanguinis evacuatio ex amplo vulnere, in antibrachio, jugulo aut pede; hirudines ad alas narium, ad tempora, pone aures, vel etiam ad anum; cucurbitae cruentae in nucha vel ad occiput; clysmata emollientia et refrigerantia; balnea pedum, sinapismi, epispastica. Nonnunquam etiam caput ad cutem tondere convenit, acetoque diluto lavare vel aquâ frigidâ perfundere, aut ipsam nivem afflictae parti imponere. Ad usum internum exhibenda sunt antiphlogistica diluentia, largae Nitri portiones, ex brevibus intervallis, et laxantia frigida, quibus tamen

aliquando praeferri meretur liberalior Mercurii dulcis usus. Caeterum aër frigidus sit; in loco quieto et in tenebris versetur aegrotus; corpore erectò decumbat.

§ 141.

In sanandâ phrenitide secundariâ ratio habenda est morbi, cui successit vel superaddita est.

§ 142.

De hoc acuto ancipiteque morborum genere docte et copiose disputavit Philippus Georgius Schroederus, qui magnâ cum diligentiâ antiquiorum Medicorum sententias collegit, adeoque et nunc in historico morbi studio, operam praestare valet discentibus. Neque quemquam legisse poenitebit celeberrimi Stollii observationes, comparandas cum Aphorismis a Boerhavio et a semet ipso editis.

P. G. Schroeder, De indole ac sede phrenitidis et paraphrenitidis Analecta; in Opusculis Medicis, collectis studio J. C. G. Ackermann, vol. I, Norimbergae 1778, 8vo, pag. 219 seqq.

M. Stoll, De causa et sede phrenitidis; ad Virum Cl. Gulielmum Grant: in Rationis medendi P. III, ed. Leid. pag. 121 seqq.

§ 143.

In primis tamen inflammationem cerebri illustrarunt frequentes sectiones cadaverum et indefessa in morbo observando industria, in quibus excelluerunt scriptores aliquot recentiores, ex quorum ingenti numero laudari praesertim merentur Johannes Abercrombie et Franciscus Lallemand. Qui possunt, legant quoque observationes Doct. Andral.

F. Lallemand, Récherches anatomico-pathologiques sur l'encéphale et ses dependences. Paris 1822 en 1823, II vol. 8vo.

J. Abercrombie, Pathological and practical researches on the diseases of the brain and the spinal chord. Third edition, enlarged; Edinburgh and London 1834, 12mo. Vers. Germ. Bonn 1821; altera auctior, Bremen 1829, 8vo.

G. Andral, Clinique médicale, ou choix d'observations recueillies à l'hôpital de la Charité, Tom V, *Maladies de l'encéphale.* Paris 1833, 8vo.

De inflammatione medullae spinalis, seu Myelitide.

§ 144.

Symptomata, quae medullae spinalis ejusque membranarum inflammationem notant, dolores sunt perpetui, ardoris sensum excitantes, intra columnam vertebrarum collocati, in pronatione et supinatione corporis aucti, admoti caloris externi impatientes, sociamque habentes febrem continuam, cum inquietudine et anxietate universali. Solus fieri potest decubitus in dorsum; musculorum in partibus extremis vel motus fiunt involuntarii, vel stupor in iisdem sentitur, donec oriatur resolutio. Symptomata accedunt sympathica cerebri, cordis atque pulmonum. Cum alvi, tum urinae secretio tarda et inordinata est.

§ 145.

Causae sunt laesiones mechanicae columnae vertebrarum, tum ipsius medullae affectiones sympathicae vel metastaticae, post phrenitidem, post morbos rheumaticos, arthriticos, scrofulosos.

§ 146.

Morbi cursus in Myelitide lentior est, quam in phrenitide. Quandoque circa septimum vel nonum diem

salutaris resolutio obtinet, per sudorem, urinam vel haemorrhagiam. Terminatur aliquando in hydropem, qui hydrorhachis dicitur, vel in vitia organica cum medullae, tum thecae osseae hanc includentis, tum denique tunicarum. Morbi diuturnioris effectus sunt paralysis crurum, vesicae, aliarumque partium.

§ 147.

Praeter vulgaria remedia antiphlogistica, adhibentur hirudines ad anum, cucurbitae cruentae ad tractum columnae vertebrarum, frictiones cum unguento Neapolitano, tum quoque epispastica et cauteria, loco dolenti admota.

§ 148.

Inter scriptores, qui de morbis medullae spinalis datâ operâ praeceperunt, consulantur praesertim Valerius Aloysius Brera, Johannes Abercrombie, Carolus Wenzel, et Doctissim. Ollivier.

V. A. Brera, Della Rachialgite, cenni pathologici; in Atti dell' Acad. Ital. di Scienze etc. Tom. I; übersetzt durch Harless, in Jahrbücher der Deutschen Medicin und Chirurgie XI. Bd. 2 St. pag. 15 seqq.

J. Abercrombie, l. l.

C. Wenzel, Ueber die Krankheiten am Rückgrathe. Bamb. 1824., fol. mit kpft. pag. 396 seqq.

C. P. Ollivier, d'Angers, De la moëlle épinière et de ses maladies. Paris 1824. 8°. Vers. German. Leipz. 1824.

De Otitide.

§ 149.

Distinguunt inter Otitidem externam et internam. Illa, quae plerumque erysipelatis indolem refert, in

meatu auditorio et in conchâ sedem habet, atque facile dignoscitur, rubente ac tumente parte, quae oculis patet. Haec partes auris internas occupat, gravissima symptomata habet, et accuratius explicari meretur.

§ 150.

Notant Otitidem internam dolores âtrocissimi, pungentes, lancinantes, pulsantes, qui in fauces usque porriguntur: tum quoque febris continua inflammatorii generis. Accedunt susurrus aurium, nimia auditus sensilitas, aut contra plena ejusdem abolitio, cephalalgia gravis, pervigilium, inquietudo, anxietas, delirium, convulsiones, deglutitio difficilis et dolorifica.

§ 151.

Ad morbum disponunt constitutio scrofulosa, major corporis proclivitas in morbos catarrhales, erysipelatosos, exanthematicos. Occasionem praebent subita aëris mutatio, violentiae externae, corpora aliena in aurem illapsa aut intrusa, excretiones et haemorrhagiae naturales suppressae, metastasis post febrem inflammatoriam, variolosam, morbillosam, aut irritatio ab anginâ gravi scarlatinosâ, in tubam Eustachianam et aurem internam translata.

§ 152.

Brevis plerumque durationis est morbus: paucis diebus, in mortem terminari potest. Natura Otitidem sanat, salutari resolutione, haemorrhagiâ criticâ, fluxu mucoso aut purulento per meatum externum aut per tubam Eustachianam. Attamen inflammationem, hac ratione sanatam, excipiunt saepe perpetuus aurium

strepitus, auditus gravis, otorrhoea chronica, caries ossium.

§ 153.

Aliquando exitum habet in phrenitidem. »Auris quoque dolor acutus, cum febre continua vehementique, saepe mentem turbat: et ex eo casu juniores interdum intra septimum diem moriuntur; seniores tardius." Celsus.

§ 154.

Primo autem loco corpora peregrina, altius in meatum illapsa, aut vi protrusa, et etiamnum aurem laedentia, arti convenienter sunt eximenda, ne inflammationem, quam excitarunt, fovere pergant. Quod qua ratione praestandum sit, praeter Guichardum Josephum Duverneium, Pathologiae aurium interpretem accuratissimum, docebunt Chirurgi recentiores.

§ 155.

Ad cohibendam inflammationis vim, aliquando opus est methodo strenue antiphlogistica. »Sanguinem igitur semel iterumque ac saepius liberali manu detrahere oportet, cathartica refrigerantia valida exhibere, cucurbitulas cum scarificatione, hirudines, vesicatoria, occipitio et pone aures imponere, artus denique aquae calidae immergere, ut, si fieri possit, inflammatio resolvatur." Macbride.

§ 156.

Praeterea usum habere possunt cataplasmata emollientia, vapores calidi. injectiones caute factae, quas *clysterem oricularium* vocavit Celsus, gargarismata, membranae tympani perforatio.

§ 157.

Hanc morbi speciem, post Rudolphum Augustinum Vogelium, qui vocis faber videtur, descripserunt Johannes Petrus Frankius, Philippus Pinellius et plerique scriptores therapeutici recentiores. Aliis vero scriptoribus vix indigebit, cui consulere licet praeclarum Itardi librum.

J. E. M. G. Itard, Traité des maladies de l'oreille et de l'audition. Paris 1821. II. voll. 8vo.

De Parotitide.

§ 158.

Praegressis horripilatione, lassitudine et artuum dolore, parotides et maxillares glandulae aliquando repente intumescunt et dolent, tensionis sensum praecipue excitantes, et febrem ut plurimum, vel nuntiam, vel sociam, vel pedissequam habentes.

§ 159.

Inflammatio vel unius, vel utriusque lateris glandulam parotidem occupat. Si posterius fit, glandulae submaxillares consensu etiam affici et tumefieri solent, ita ut tumor, in speciem collaris, ab alterâ aure ad alteram extendatur.

§ 160.

Ab inflammationis vehementia et a tumoris gradu difficultas pendet, quae in manducando, deglutiendo et loquendo locum habet. Tumor enim tantus esse potest, ut non solum tota facies deformetur, sed partes quoque inferius sitae et tonsillae ipsae in consensum rapiantur.

§ 161.

Pueris et juvenibus magis infensus est morbus, quam adultis, neque tamen ulla aetas, aut sexus sequior, ab eodem immunes sunt. Occasionem praesertim praebet tempestas humida, frigida, nebulosa.

§ 162.

Resolutio fit septimo die vel nono, nisi maturius jam acciderit; eamque indicare solent magna febris remissio vel plena apyrexia, aucta perspiratio cutis, epistaxis vel alia evacuatio critica.

§ 163.

Parotitis facillime in alias partes migrat, apud viros potissimum in inguina aut testes, apud faeminas in pudenda et mammas. In cerebrum etiam, in pulmones, aliasque partes metastasis fieri potest.

§ 164.

Morbus aliquando popularis dici meretur, neque tunc eandem semper refert naturam. Exempla notarunt Forestus, Swietenius aliique nostrates Medici, quos laudavit Thyssenus. Neque minus epidemios parotidum tumores observarunt Johannes Baptista Burserius, Robertus Hamiltonus, Johannes Ernestus Wichmannus.

H. F. Thyssen, Geschiedkundige beschrijving der Ziekten in de Nederlanden. Amsterdam 1824. 8vo. pag. 140 seq.

J. B. Burserius, libri mox laudandi pag. 330 seqq. Ubi simul accurata traditur historia parotidum epidemiarum, quas descripserunt Joannes Targionius Tozzettius, Thomas Laghius, Josephus Pratolongus, alii.

R. Hamilton, On the Cynanche parotidea; in Transactions of the royal Society of Edinb. Tom. II: übersetzt in Sammlung auserlesener Abhandl. für practische Aerzte, XIV Bd. 1 St. pag. 34 seqq.

J. E. Wichmann, Ideën zur Diagnostik I Bd.; edit. 2dae. Hannover 1800, pag. 133.

§ 165.

Remedia requirit diluentia, perspirationem leniter promoventia. Externa remedia sicca sint et modice caleant. In majori morbi vehementia, subinde universali vel locali sanguinis detractione opus est.

§ 166.

In remediorum laxantium usu prudentia requiritur, quippe quibus metastasis promoveri videatur.

§ 167.

Parotitis secundaria, quae post febres inflammatorias, catarrhales, biliosas, tum quoque post scarlatinam aliosque morbos exanthematicos saepissime observatur, quaeque vel symptomatica vel critica est, exitum habere solet in suppurationem. Formati puris evacuatio mature plerumque ab arte facienda est.

§ 168.

De hoc morbi genere tam praeclare scripsit Burserius, ut praeter Hamiltoni observationes, vix quidquam praestiterint Johannes Christianus Reilius, Philippus Pinellius aliique scriptores recentiores.

J. B. Burserius, Institutionum Medicinae practicae vol. II, P. II, Cap. XV, edit. Lips. pag. 328 seqq.

De Glossitide.

§ 169.

Glossitis linguae inflammatio est, cum rubore, dolore, eoque tumoris gradu conjuncta, ut saepissime

totum expleat oris cavum, vel intra illud contineri non possit.

§ 170.

Plerumque eam comitantur febris gravissima; salivae viscidae et glutinosae fluxus, quem excipiunt siccitas oris et sitis molestissima; facies rubore suffusa; cephalalgia; agrypnia; loquela impedita; deglutitio ardua vel penitus abolita; respiratio difficilis, quae suffocationem minatur.

§ 171.

Quandoque Glossitidem sanat aucta salivae secretio. Exitum habere potest in indurationem, suppurationem, scirrhum, carcinoma atque gangraenam. Intra tempus brevissimum autem necare valet suffocatione.

§ 172.

Curam postulat strenue antiphlogisticam, largam et aliquando repetitam venae sectionem; tum quoque usum localem vaporum emollientium et collutionum; clysmata, balnea pedum, et derivantia alia.

§ 173.

Saepe tamen principem locum tenent scarificationes satis profundae, factae in ipsâ parte aegrotante et inflammatâ.

Précis d'observations sur le gonflement de la langue, et sur le moyen le plus efficace d'y remédier, par M. De la Malle; dans les Mém. de l'Acad. royale de Chirurgie, Tom V, 4to. pag. 513 seqq.

§ 174.

Deglutitione per longius tempus abolitâ, clysmata nutrientia accommodanda sunt; neque minus convenit, cannulam elasticam, cujus pars extrema formam infundibuli refert, per nares in pharyngem introducere,

cujus auxilio alimenta liquida in ventriculum transmittantur.

A. G. Richter's Anfangsgründe der Wundarzneykunde, IV Bd. 3ten Kap. § 46; edit. 2dae. Göttingen 1800, pag. 30 seq.

§ 175.

Inflammatae linguae symptomata post Danielem Sennertum et Lazarum Riverium, accuratissime tradidit Rudolphus Augustinus Vogelius, qui morbum bis observaverat et nomine Graeco ornavit. Lectu autem dignissimae sunt historiae, quas narrarunt Fredericus Christianus Theophilus Scheidemantel et Jacobus Garron.

R. A. Vogel, Praelect. academicae de cognoscendis et curandis praecipuis corporis humani affectibus. Lipsiae 1772, pag. 130 seqq.

F. C. G. Scheidemantel, Beiträge zur Arzneikunde, I Abth. Leipzig 1797, 8vo. pag. 8—37.

J. Garron, Observations sur l'inflammation de la langue; dans le Journal général de Médecine, rédigé par M. Sedillot, Vol. XXVIII, pag. 254 seqq.

De Angina.

§ 176.

Angina est laesa cum dolore deglutitio, aliquando cum respirationis difficultate conjuncta, repetenda ab inflammatione, vel communem pro aëre ac pro alimentis viam, vel alterutram solam occupante, et plerumque sociam habente febrem.

§ 177.

Quae instrumenta deglutitionis occupat inflammatio, angina *pharyngea*, quae in viâ ad pulmones ducente

sedem habet, angina *laryngea*, aut, si profundius haeret, *trachealis* vocatur.

§ 178

Quae anginam pharyngeam comitantur, symptomata sunt: cum ardore et dolore conjuncti rubor et tumor, qui in faucibus luci obversis conspiciuntur; deglutitio difficilis, doloremque acutum, in aures subinde propagatum, excitans, illaesâ respiratione; muci tenacis secretio, et frequentior screationis et deglutitionis necessitas; facies rubra et tumida; pulsus celer, plenus et durus; febris continua.

§ 179.

Symptomatum tamen ratio differt pro inflammationis *natura* et pro *sede*, quam occupat in viâ, ad digestionis officinam ducente.

§ 180.

Si inflammationis naturam spectes, inter *catarrhum faucium* et inflammationem veram et legitimam, quae *phlegmone* vocatur, distinguendum videtur. Praeterea in vestibulo communi ad canalem pro aëre et cibo, inflammatio adesse potest impuri generis, a causa syphilitica, scrofulosa, aphthis etc.

§. 181.

Quod ad sedem attinet, inflammatio vel utramque tonsillam, vel alterutram, vel uvulam, vel membranam faucium mucosam, vel oesophagum, vel singulas istas partes simul corripit. — In inflammatis tonsillis saepe conspicuus ad externa tumor est. In inflammatâ pharyngis parte profundius sitâ, cibi et potus per nares aliquando remittuntur. Inflammato oesophago dolores fixi sunt, ad dorsum subinde urgentes, et deglutitio praesertim difficilis est, si supinus, qui laborat, ja-

cens, transglutire quidpiam conetur: quibus signis, Galeno notante, accedit et sitis, et multi caloris sensus, et febris non admodum ardens, quae siti proportione haudquaquam respondet.

§ 182.

Simili ratione, in eo anginae genere, quae respirationem laedit, inter *laryngeam* et *trachealem* distinguunt. Quae bronchos occupat inflammatio, inter anginas minus recte refertur, et *bronchitis* nominari consuevit.

§ 183.

Ubi laryngem ipsum inflammatio prehenderit, dolores sentiuntur acuti, quando tracheae caput a manu explorante comprimitur, aut, per vices alternas, in latus dextrum et sinistrum movetur. Praeterea dolores percipiuntur in ipso nixu deglutitionis, quo quippe instante, in anteriora et superiora moveatur larynx: quales dolores multo etiam acerbiores sunt, cum loqui, aut vociferari, aut tussire necesse fuerit aegrotanti. Caeterum vox fit acutissima, stridula, aut singulari raucedine obsessa; tussis accedit sicca, suffocatoria; respiratio parva et rara est, collo in posteriora inclinato et gutture prominente. Pulsuum ratio pro inflammationis vehementia et morbi stadio differt.

§ 184.

Singularis est anginae laryngeae species, in quâ *epiglottidem* praesertim occupat inflammatio. Membrana quippe mucosa, quae utramque illius paginam investit, ex inflammatione adeo rubere et tumere potest, ut, ore aperto et depressâ linguâ, ipsum

glottidis operculum, in primis si nisus ad deglutiendum accedat, prodeat in conspectum et in faucibus haerere videatur. Praeter respirationem, insigniter quoque laesam esse deglutitionem, facilius autem solida deglutiri posse quam fluida, ex munere, quo fungitur epiglottis, apparet. Quam anginae speciem, haud adeo raram, memorabili exemplo illustravit Morgagnius, et novis observationibus explicuit Everardus Home.

J. B. Morgagnii Epistol. anatomico-medica XLIV artic. 3.

E. Home, Cases of inflammation and swelling of the epiglottis; in Transactions of a Society for the improvement of medical and chirurgical knowledge. vol. III pag. 268 seqq.

§ 185.

Si inflammatio tracheam potius quam laryngem obsideat, nihil in faucibus vitii conspicitur, nec in partibus exterioribus tumor apparet. Sed tactu compressa tracheae fistula acerbius dolet, quo potissimum mali sedes detegitur; febris acutissima exardescit; inspiratione intenditur doloris acerbitas; tussis permolesta plerumque, voxque clangosa et rauca est; respiratio parva, frequens, sublimis, et nisu magno, ac sibilo perficitur. Ex laesâ respiratione difficilior sanguinis a capite reditus, faciei tumor, livor, ruborque; pulsuum mira imbecillitas et vacillatio; anxietas summa et metus suffocationis intelliguntur. Burserius.

§ 186.

In utrâque asperae arteriae parte, cum superiori tum inferiori, locum habere potest singularis *exsudativae inflammationis* species, quam membranaceam vel polyposam dixerunt. Tempore brevissimo lympha tenax exsudatur, in *pseudo-membranas* concrescens, respira-

tionem maximam partem impedientes. Morbus solos infantes corripere solet. Vox acuta et stridula, galli gallinacei cantum referens, cum tussi, sed sine magna in principio spirandi difficultate, signum mali diagnosticum constituit. Macbride.

§ 187.

Unde apparet, quâ ratione, pro locorum diversitate, angina differat. Quo autem plures partes simul inflammationem subeant, symptomata consequuntur eo graviora, aut ex vario genere mixta. Quod ad causas et therapiam attinet, multa sunt singulis anginae speciebus communia.

§ 188.

Ad hoc morbi genus proclives sunt homines aetate florentes, sanguineo temperamento, habituque pleniore praediti, pilos rufos et cutim teneram, lentigine tectam habentes. Neque minus anginae familiares sunt iis, quibus constitutio est scrofulosa.

§ 189.

Occasionem praebent aër humidus, nebulosus, illiusque subita in caloris gradu mutatio; laesiones externae variae; cantus, alta vociferatio, tubarum inflatus; equitatio vento adverso; spirituosorum abusus; labes gastrica aliaeque causae sympathicae; contagia denique, ut variolae, morbilli, scarlatina et syphilis.

§ 190.

Saepe morbum levant sanguis e naribus, aut utero, aut haemorrhoïdibus prorumpens; sputum flavum, copiosum, et celeriter coctum; diarrhoea biliosa, aut

sudores aequabiles, si signa coctionis in urinâ praecesserint.

Ab angina detento tumorem fieri in collo, (vel juxta aures, vel interius prope tonsillas, ut monuit Aretaeus) bonum est: foras enim morbus vertitur: Hipp.

Bonum, si tumor et rubor in pectore prorumpat. Hipp. et Aret.

Anginae horrendissimae sunt, et citissime occidunt, quae neque in faucibus quidquam conspicuum faciunt, neque in cervice: verum plurimum dolorem exhibent, et erecta cervice spirationem inducunt. Hae enim eodem die suffocant, secundo item, ac tertio, et quarto. Hipp.

Dolores citra evidentem causam cessare, aut ad caput, pulmones, praecordia, aliasve partes transferri, perniciosum plane est. Hipp.

§ 191.

Angina terminatur in resolutionem, in organica membranae mucosae aut partium subjacentium vitia, in pseudo-membranas, in suppurationem, ulcerationem atque gangraenam.

§ 192.

Ut promoveatur resolutio et arceantur reliqui exitus, conveniunt potissimum: 1) larga et repetita sanguinis detractio universalis aut topica; 2) remedia antiphlogistica; 3) revellentia et derivantia; 4) demulcentia et humectantia; potus tepidi, vapores aquosi, gargarismata emollientia.

§ 193.

In curâ, ad inflammationis indolem praecipue attendas. Quae a causis gastricis vel biliosis pendet, angina emeticorum vel laxantium frigidorum usum

requirit. In angina catarrhali, diaphoretica prosunt. Angina syphilitica sine Mercurialium usu sanari nequit.

§ 194.

Laryngis et asperae arteriae inflammatio, praeter remedia recensita, tempestivum usum eorum postulat, quibus pseudo-membranarum generatio impediri, aut membranae illae formatae solvi et rejici possint. Mercurius dulcis atque emetica, justo tempore data in eum finem conveniunt.

§ 195.

Interdum uvula, tonsillae et velum pendulum palati adeo tument, ut una quasi coëant in tumorem, quo omnis faucium hiatus occluditur. Quo in casu praesentissimum et efficacissimum auxilium praebet prudens et cauta partium inflammatarum scarificatio.

§ 196.

Si angina inflammatoria primis quatuor vel quinque diebus, non solvitur, suppuratio exspectari debet, quam fieri inde cognoscimus, quod symptomata febrilia, quamvis mitiora, manent; pulsus mollescit; rubor partium inflammatarum obscurior fit, dolorque facilius sustinetur, aegro interim leves horrores subinde sentiente. Macbride.

§ 197.

Quem morbi exitum si prospicimus, ad eum promovendum pultes maturantes extrinsecus super collum dare, gargarismate autem ex decocto ficuum vel ex aquâ, in quâ lini semina macerata sunt, exhibere debemus, curâ habitâ, ut fauces quotidie inspiciamus, num abcessus adpareat, quippe quem arte subinde aperire oporteat. Macbride.

§ 198.

Praeter inflammatoriam alia est anginae species, quae *pituitosa* vocatur, quaeque ex tumore albo, lymphatico partium, quas detinet, et ex modo, quo laesae sunt functiones, dignoscitur. Quo in casu remedia purgantia, vesicatoria et gargarismata acriora plerumque conveniunt.

§. 199.

Inter anginas symptomaticas principem locum tenet angina *gangraenosa*, *maligna*, quae plerumque epidemia, et inflammationis impurae soboles est, atque valde perniciosos habet effectus. Quo accuratius ab anginâ verâ inflammatoriâ, interdum et ipsâ in gangraenam desinente, distingui meretur.

§. 200.

De angina praeclare scripserunt Gerardus Swietenius et Johannes Baptista Burserius, cum quorum tamen lectione conjungantur ea, quae recentiores scriptores de hoc morbi genere praeceperunt. Varia praesertim membranae mucosae vitia, quae inflammationis effectus sunt, nunc plenius cognita sunt, quam Morgagnii tempore.

G. van Swieten in Boerhavii § 783 seqq.; Commentar. in Aphorismos de cognoscendis et curandis morbis, Tom. II. pag. 618 seqq.

J. B. Burserii Institutionum vol. III. P. III, Cap. XVII, edit. Lips. nov. pag. 343 seqq.

§ 201.

Primam anginae membranaceae mentionem fecisse videtur Guilielmus Ballonius, in annotatione septima ad *Constitutionem hiemalem* anni 1576, haec scribens: »Chirurgus affirmavit, se secuisse cadaver pueri

ista difficili spiratione, et morbo, ut dixi, incognito sublati. Inventa est pituita lenta, contumax, quae instar membranae cujusdam, arteriae asperae erat obtenta, ut non esset liber exitus et introitus spiritui externo. Sic suffocatio repentina." — De hoc autem morbi genere, prae aliis, consulantur Franciscus Home, Christianus Fredericus Michaëlis, Ludovicus Jurine, et Johannes Abrahamus Albers. Legi quoque merentur, quae nuper scripsit Doct. Goelis, in observandis infantibus, cum aegrotantibus, tum vero mortuis, Medicus diligentissimus. His scriptoribus qui carent, brevem sed accuratam descriptionem legant, quam dedit Laennecus.

F. Home, Inquiry into the nature, causes and cure of the croup. Edinb. 1765. 8vo.

C. F. Michaëlis, De angina polyposa sive membranacea. Gotting. 1778. 8vo.

L. Jurine, Mémoire sur le croup, ou angine trachéale. Genève 1812. 8vo.

J. A. Albers, Commentatio de Tracheitide infantum, vulgo Croup vocata. Lips. 1816. 4to.

L. A. Goelis, Tractatus de rite cognoscenda et sananda angina membranacea. Vienn. 1828. 8vo.

R. T. H. Laennec, Traité de l'auscultation médiate etc. IIme Part. Sect. I. Chap. III. 3me édit. Paris 1831. Tom. I. pag. 228 seqq.

§ 202.

De angina maligna scriptores principes sunt Marcus Aurelius Severinus, Thomas Bartholinus, Johannes Fothergillius et Johannes Huxhamus. Legantur quoque observationes, quas habent nostrates Medici, Johannes Wyërus, et Petrus Forestus. Lucem quoque praebebunt observationes anatomico-pathologicae recentiorum.

M. A. Severini Liber de reconditâ abcessuum natura.; edit. Francof. 1643. 4to. pag. 428 seqq.

T. Bartholinus, De angina puerorum Campaniae Siciliaeque epidemica. Paris. 1646. 8vo.

J. Fothergill, An account on the putrid sore-throat. Lond. 1748, 8vo. edit. 2d. 1751; in Works, bij J. Coakley Lettsom. vol. I, Lond. 1783, 8vo. pag. 333 seqq.

J. Huxham, A Dissertation on the malignant sore-throat. London 1757. 8vo.; vers. latin. in Operr. Physico-medic. curâ G. C. Reichel, Tom III. pag. 92 seqq.

De Peripneumoniâ.

§ 203.

Peripneumoniam indicant: febris acuta; respiratio difficilis, brevis et celeris, aëre exspirato calente; sensus pressionis in pectore; dolores obtusi, quandoque penitus deficientes; profundius spirandi impotentia; decubitus supinus atque erectior; supra latus jacendi difficultas; tussis vel sicca, vel sputa spumosa aut sanguinolenta eliciens; pulsus mollis et parvus; anxietas summa; desiderium frigidi atque plurimi aëris haustu rapiendi; jactatio frequens et loquela abrupta. — »Aucto morbo, spiritus difficillime trahitur cum sibilatu; sequitur colli ac vultus inflatio; oculorum immobilitas et visus nubilosus; mentis alienatio; articulorum frigidus torpor cum livore; lingua crassior; sudor superiorum partium; pulsus latens aut formicans; postremo pectoris resonans stridor." Caelius Aurelianus.

§ 204.

Quibus morbi signis fidem addunt ea, quae percusso thorace eliciuntur, aut admoto tubo acustico, quem stethoscopium vocant, ab explorante Medico

percipiuntur. Si quippe thorax adductis ad se mutuo et in rectum protensis digitorum apicibus, pulsetur aut percutiatur, ex obtuso et suffocato, aut et penitus deficiente sono, de inflammati pulmonis gradu et sede expertus Medicus judicabit. Simili ratione, in leviori inflammationis pulmonum gradu, naturale respirationis murmur (strepitum respiratorium dicunt) stethoscopii auxilio minus clare, quam oportet, percipimus, aut simul *rhonchum crepitantem* audimus, praesertim sub inspiratione: in inflammatione autem graviori, nullum respirationis murmur auditu percipitur in eâ thoracis regione, quae inflammatae pulmonis parti respondet.

§ 205.

Causae morbi quam plurimae sunt; tempestas frigida, sicca; ventus borealis; subita aëris mutatio; exercitia pulmonum violenta, cursu, saltu, cantu, clamore, equitatione in vento adverso; materiae pulverulentae vel vaporum nocentium inspiratio, irritamenta plurima sympathici aut metastatici generis.

§ 206.

Faustam prognosin facere licet, si inflammatio non vehemens est, recenter facta, in uno pulmone, viribus integris, et absente dispositione phthisica haereditaria. Caeterum quaevis peripneumonia morbus gravis est, plenus discriminis. Pulmonum inflammatio, quae Celsi verba sunt, plus periculi quam doloris habet. Quapropter Medicus meminerit Bagliviani praecepti: De morbis pulmonum, etiamsi peritus in arte sis, vel censearis, noli cum jactantia disserere, vel faustam promittere curationem.

§ 207.

In his autem, et omnibus, qui pulmonem affligunt, morbis, bonum quidem est, facile morbum sustinere, dolore defungi, sputum prompte exspuere, facile spirare, siti esse vacuum, reliquum corpus aequaliter incalescere, ac molle esse. Ad haec somnos, sudores, urinas, alvi egestiones, laudabiliter fieri: quibus contraria mala sunt. Hippocr. — Malum praesertim est (quae praesagia in aliis continentur *Coacarum Praenotionum* aut *Aphorismorum* locis), phrenitidem, aut nervorum rigorem, aut alvi profluvium (quod sputum supprimit) supervenire; aut aegrum residere velle, aut urinam celeriter post potionem prodire, aut quae ab initio cocta erat, post quartum diem tenuem evadere.

§ 208.

Sectiones cadaverum docuerunt, praegressâ inflammatione pulmonum, non solum colorem extus esse rubrum, lividum vel violaceum, sed etiam ipsum contextum mutari: inflammati quippe pulmones spongiosum suum habitum magis minusve perdunt, neque raro sanguine turbido et spumoso adeo turgent, ut dissecti compactiores appareant, et digitis pressi crepitationem, quae ab aëre exeunte est, vel exiguam vel nullam exhibeant. Aliquando etiam in cellulas transsudatio fit lymphae crassioris sanguine tinctae; qua pulmones graviores, densiores et carnosi quasi redduntur, ita ut cultro dissecti parenchymati hepatis similes videantur, et colorem vel rubrum vel griseum referant. Denique ex pulmonibus, incisione factâ, materies alba et purulenta saepe exprimi potest, aut etiam sponte effluit tenuior ichorosa materies.

§ 209.

Natura sanat Peripneumoniam; cum resolutione benignâ, quae quarto vel quinto contingit die; tum evacuatione criticâ, sputo largo, cocto, subinde rufo aut striis sanguineis tincto, tussim et dolores levante; alvi fluxu bilioso, aut sudore aequabili, utroque tamen moderato; urinis copiosis, crassis, turbidis, sedimentum rubrum, postea album deponentibus.

§ 210.

Praecipua artis praesidia sunt: 1) larga, et subinde brevi intervallo repetita, sanguinis missio, ad stadium et ad indolem morbi composita; 2) vapores tepidi, emollientes, ore et naribus hausti; 3) remedia diluentia, antiphlogistica, expectorantia; 4) clysmata cum emollientia, tum derivantia.

§ 211.

Si peripneumonia alios morbos sequatur, vel eosdem comitetur, ad horum indolem sanandi ratio componenda est. Neque minus ad constitutionem, quae vocatur, epidemiam Medicum attendere decet.

§ 212.

Exitum habere potest peripneumonia in suppurationem, in exsudationem serosam aut plasticam, in tubercula, in parenchyma compactioris structurae, quasi colorem et compagem hepatis referret, tandem in mortem partialem sive gangraenam.

§ 213.

Fieri autem suppurationem, indicium est, si dolore, qui prius torquebat, cessante, febris non desinat; quin imo sine manifestâ causâ inordinate exacerbetur, interdiu mitior, vesperi gravior; rigoribusque interdum,

genarum deinde rubore stipetur; demum, doloris loco, qui antea erat, pondus percipiatur, neque desinat tussis. Burserius.

§ 214.

Facto jam pure, sive suppuratione absoluta, sudores multi et tenues circa pectus, aut collum, et cervicem erumpunt; tussis et tussiendi cupiditas sine notabili exspuitione vexat; oculi cavi, atque ungues adunci fiunt; malae rubent; summi digiti praeter modum calent; appetitus prosternitur et deficit; alvus quandoque liquescit; et passim pustulae in toto corpore erumpunt. Burserius.

§ 215.

Si pus ab inflammatione confectum non exscreetur, sed intra pulmones peculiari in loco, quasi in cystide quâdam coacervetur, *vomica* is abcessus dicitur; quemadmodum *vomica* etiam appellari solet similis puris collectio, quae haemoptysin, tubercula, vulnus pulmonum subsequitur. Burserius.

§ 216.

De aegrotantium curâ, post factam pulmonum suppurationem, vix tradi possunt praecepta aliqua universalia. Medicamenta tamen demulcentia et oleosa, tum quoque *expectorantia* leviora, hirudines, vesicatoria, cauteria et alia artis praesidia prodesse possunt, ad minuendam, quae adesse pergit, inflammationem, ad nutriendum corpus, ad materiem purulentam foras eliciendam.

§ 217.

Si vero pus in thoracis cavum delabatur, *empyema* adesse dicitur. Quo in casu, ad pus eliciendum,

suadent paracenthesin pectoris, viribus bene valentibus, et absente dispositione ad phthisin. Quale artis praesidium, naturâ monstrante viam, subinde feliciter cessit.

§ 218.

Formatas membranas spurias, quem exitum in pleuro-peripneumonia frequentissime observamus, auguramur e dyspnoeâ diuturnâ, quae tempore nec augeri nec minui solet, e tussi siccâ, praesertim post motum corporis, ex absentiâ signorum, quae suppurationi et tuberculis propria sunt.

§ 219.

Denique in gangraenam terminari potest peripneumonia, cum morbi vehementia, tum malignitate. Symptomata, quae hunc exitum declarare dicuntur, sunt sputa nigra, ichorosa, foetidissima; respiratio brevis, celeris, stertorosa; languor et collapsus oculorum; pulsus parvus, celer, intermittens; lingua nigra et sicca; urina profunde rubra, obscura vel nigra; alvus fluida foetidissima; sudores frigidi; color lividus in regione pectoris, quae aegrotanti pulmoni respondet.

Exempla retulerunt Laennec, Bayle, Cruveilhier, Andral aliique scriptores recentiores: inter nostrates Cl. Schroeder van der Kolk.

§ 220.

Si exitus in gangraenam minetur, efficaciora remedia adhibenda sunt, vesicatorium praesertim, viribus vitae fractis, tanquam cardiacum. Stollius. — In morbo tamen, qui et reluctantem naturam et artis praesidia superat, sciat Medicus *sinere mori*.

§ 221.

De peripneumoniâ optime praeceperunt Maximilianus Stollius et Joannes Huxhamus. Neque negligenda sunt, quae post Leopoldum Auenbruggerum, ad firmandam morbi diagnosin contulerunt Renatus Theophilus Hyacinthus Laennecus et Doctissimus Andral.

M. Stoll, Aphorismi de cognoscendis et curandis febribus. Vindobon. 1786. 8vo. § 137 seqq. Rationis medendi etc. locis variis.

J. Huxham, Dissertatio de Pleuritide et Peripneumonia; in Operr. Physico-Medic., curâ G. C. Reichel. Tom. II., pag. 155—231.

L. Auenbrugger, Inventum novum, ex percussione Thoracis humani, ut signo abstrusos interni pectoris morbos detegendi. Vindobonae 1761. 8vo.

R. T. H. Laennec, De l'auscultation médiate, ou Traité du diagnostic des maladies des poumons et du coeur, etc. Tom. I., Part. II., Sect. II., Chap. VI., 3me édit. Paris 1831, pag. 392 seqq.

G. Andral, Clinique médicale, ou Choix d'observations recueillies à l'Hopital de la Charité etc. Tom. I., 2me édit. Paris 1829. 8vo. pag. 264—495.

De Pleuritide.

§ 222.

Pleuritis est inflammatio membranae serosae, organa respirationi dicata investientis. Qualis inflammatio igitur omnes pleurae partes, tum quae ex ipsâ fiunt, tum eas, quibus obtenditur, occupare potest. Pleuritis tamen vera et simplex, ad membranam costas succingentem praesertim pertinet, et ipsi pulmonum parenchymati parcit.

§ 223.

Signa pleuritidis sunt: febris acuta cum pulsu duro; dolor pungens acerrimus unius vel alterius, vel utriusque lateris; respiratio difficillima, qua augentur dolores, toleratu faciliores, quamdiu spiritus retinetur, aut ubi respiratio, immoto thorace, a musculis abdominis peragitur; tussis brevis, frequens, sicca, dolorifica, quapropter tussiendi conatus saepe supprimitur.

§ 224.

Quamdiu morbus simplex est, facta percussione thoracis, aut admoto stethoscopio, nulla signa manifesta percipiuntur. Simulac vero exsudatio serosa aut seroso-purulenta facta fuerit, quod interdum tempore satis brevi contingit, thorax percussus nec resonat, neque respirationis murmur per tubum auditur, si superiorem et posteriorem thoracis partem excipias. Aliquando etiam in hac morbi formâ, aegophoniam, id est tremorem aliquem vocis, caprae balatui similem, tubo auribus admoto, percipimus, si aegrotus loqui jubeatur.

§ 225.

Pleuritis frequentissima est anno, ut Sydenhamus habet, inter ver et aestatem ambigente. Plus mares infestat, quam faeminas. Ex illis juvenes magis et stata aetate viros, quam senes. Longe periculosius quoque ex morbis pleuriticis decumbunt ii, qui labore indurata, quam qui inexercitata corpora habent; neque ante pubertatem accidere solent ejusmodi morbi. Coac. Praen. — Infantes quemadmodum raro pleuritide corripiuntur, sic et, si forte eâ correpti fuerint, rarius pereunt. Aretaeus.

§ 226.

Occasionem praebent, praeter causas alias, refrigerium corporis subitaneum, et spirituosorum abusus. Hinc venatores, milites, olitores, rusticos, cursores, aurigas, equisones et id genus, ex imâ caveâ alios saepenumero pleuriticos fieri, certâ fidâque experientiâ constat. Trillerus.

§ 227.

Quod ad formam attinet, Medici antiquiores distinxerunt inter pleuritidem *humidam* et *siccam*, quarum notas recensuerunt Trillerus, et alii. Recte tamen notavit Zevianus, Medicus Italus, quem laudavit Burserius, a pleuritide verâ tussim et sputum prorsus saepe abesse, ita ut ista morbi forma, quam humidam dixerunt, ad brònchia et pulmones potius pertinere videatur.

§ 228.

Naturae convenientius distingui solet inter pleuritidem *veram* et *spuriam;* inter inflammationem solius pleurae, costas succingentis, et pleuritidem cum ipsa peripneumonia, tum a principio, tum in progressu, conjunctam, quam pressius vocarunt *pleuroperipneumoniam;* inter pleuritidem denique *primariam*, et *secundariam* sive *symptomaticam.*

§ 229.

A pleuritide genuinâ multum quippe discrepat *spuria* vel *notha*, quae non in ipsâ pleurâ, sed in musculis intercostalibus residet, et plerumque naturae rheumaticae est. In hac nempe dolor lateris pressione, tum etiam trunci aut brachiorum motu augetur; aeger in latus affectum, ob dolores magis inde ur-

gentes, nequit decumbere, commodius in sanum convertitur; febris denique exigua est, neque durities in pulsu sentitur. — Legantur quae de hoc morbi genere scripsit Stollius in *Rationis medendi* Parte prima.

§ 230.

In pleuro-peripneumoniâ inflammationis cum *membranaceae* tum *parenchymatosae* symptomata unâ adesse consueverunt. — Ea autem pleuritidis species, in quâ exteriora tument et calent, donec resolutio fiat, aut pus per abcessum evacuetur, *pleuritis muscularis* vocari potest.

§ 231.

Praeter pleuritidem primariam, alia est secundarii aut symptomatici generis, quae vel alios morbos acutos, inflammatorios praesertim et exanthematicos, excipit, vel cum diathesi corporis impurâ stipatur. De priori pleuritidis genere, illiusque frequenti origine ex praepostero calidorum medicamentorum usu, praeclare scripsit Sydenhamus. De genere posteriori, id est de pleuritide biliosâ, post Ballonium et Forestum, legi praesertim merentur Johannes Thomas Guidetus, Simon Andreas Tissotus et Maximilianus Stollius.

J. T. Guideti Observationes, *epistolicae Dissertationis* titulo, primum editae fuerunt in Parte tertia *Historiae hepaticae*, quam scripsit Johannes Baptista Bianchi; postea autem ab auctore emendatiores prodierunt Lausannae Helvetiorum 1788, 8vo. titulo: *Dissertationis Medicae, videlicet de biliosis Febribus et de biliosa Pleuritide.* Vid. pag 33 seqq.

§ 232.

In pleuritide verâ bene ominantur respiratio liberior, calor aequabilis totius corporis, absentia sitis, illaesae functiones animales, somnus naturalis, secretiones corporis, ad naturae normam compositae. Signa

mala sunt tussiendi impotentia, dolores pertinaces, post repetitam sectionem venae redeuntes, anxietas in facie et vultu conspicua, cutis livida vel in toto corpore, vel in loco ante dolente: malum est, aegrum sedere velle erectum, aut sternutare, aut capite valde gravatum esse. Mala est, quod Hippocrates monuit, pleuritidis in peripneumoniam mutatio. Nec tutum est, dolorem prius evanescere, quam febrem.

§ 233.

Molimina critica generis varii sunt. Pleuritici, quibus intra primum et quintum diem, sanguis purpureus floridusque affatim e naribus profluit, aut quibus haemorrhoïdes oriuntur uberius manantes, naturae beneficio plerumque servantur, etiamsi neglecta fuerit in tempore sanguinis missio. Quibus vero post id tempus cruor niger, piceus quasi et viscidus, etsi copiose, e nare destillat, isti nec levaminis quid sentiunt, nec superstites facile manent. Quibus per totum morbi decursum urinae non subsidunt, quod fieri solet post diem quintum, ii majore in periculo versantur, crisinque exspectare debent difficiliorem; nam serius judicantur. Diarrhoea ab initio morbi superveniens periculosa admodum et plerumque, non tamen semper, lethifera est; passionis enim magnitudinem docet, ut loquitur Caelius Aurelianus. Sed eadem in morbi progressu et mitigatis jam saevioribus symptomatis succedens, salutaris est, et aegrum citius ad sanitatem perducit. Abcessus pleuriticis aut pone aures, aut ad pedum talos, aut sub axillis, aut alibi in corpore obortos et cocto albidoque pure repletos, pro optimo salutis signo habendos esse, frequenti experientia compertum est. Trillerus.

§ 234.

»Rarissime, imo plus dicam, nunquam fere moriuntur, quibus post venae sectionem, dolor laterum in claviculas et omoplatas protenditur, aut in dorsum propagatur.” Hanc Trilleri vocem multa exempla comprobant, quia doloris migratio saepissime docet vel inflammationem recentem, vel naturam morbi rheumaticam. Quare Medici aliquando contrarium observasse sibi videantur, apparet e *Praenotionibus Coacis:* »Quibus ad unam claviculam dolor subit, iis una superior pulmonis ala laborat: quibus vero ad ambas claviculas dolor extenditur, ambae superiores pulmonis alae laborant: quibus ad mediam costam, media: quibus vero, ad quam partem pulmo extenditur, dolor permeat, inferna ala laborat: quibus una tota ala laborat, quae ei parti respondent, omnia aegrotant.”

§ 235.

Cadaverum sectiones docuerunt, pleuram levius inflammatam maculas exhibere rosaceas, a striis rubicundis, subjacentem telam cellulosam perreptantibus, dum aliqua seri limpidi copia in thoracis cavum effusa cernitur: in graviori vero inflammatione, pleurae superficiem profundius rubere et tectam esse strato aliquo vel mucoso, vel plastico, in speciem albuminis semi-concreti, vel membraniformi, vel purulento. Rarissime autem pleura sola est inflammata, quales observationes ex Diemerbroeckio refert Swietenius: longe frequentius affici simul pulmones, praeter scriptores recentiores, summus Morgagnius docuit. Hic quippe propositis triginta et unâ a Valsalva peractis, et octodecim propriis pleuriticorum cadaverum sectio-

nibus, harumque cum aliorum observationibus instituta comparatione, mavult *eorum sententiae adstipulari, qui lethalem pleuritidem docent in sola pulmonis; id quod saepe vidit, quam eorum, qui ajunt in sola pleurae, id quod nunquam deprehendit, inflammatione consistere.*

§ 236.

Morbi resolutio artis auxilio promovetur: 1) largâ et mature factâ venae sectione, ad aegrotantis naturam, febris et doloris vehementiam, viriumque rationem compositâ; 2) remediis diluentibus, emollientibus, antiphlogisticis; 3) medicamentis externis relaxantibus, derivantibus, revulsivis.

§ 237.

De venae sectione haec praecepit Trillerus: Sanguis pleuriticis a primo decubitus die, usque ad quartum haud exclusum, cito, crebro et copiose mitti debet: si vero saeva vis morbi urgeat, aegrique vires permiserint, etiam ad septimum, quin et in octavum adeo usque diem, venae sectio cum fructu institui potest, quod tamen cum grano salis capiendum, nec temere faciendum est. Sed raro una cruenta pugna sufficit ad profligandum penitus atrocem hunc hostem: breves plerumque inducias facit, non certam solidamque pacem, et dum in thorace, quasi vallo quodam munito circumseptus, dolose latet, novas saepe gravioresque insidias machinatur. Hoc ubi cognitum fuit, altera, tertia, immo et quarta venae sectio, si necessitas urget, administranda est.

§ 238.

Pro usu interno sufficiunt fere aqua, acetum, mel,

nitrum, hordeum, oleum et paucissima alia, quae tanquam specifica polychresta, omnem hic absolvunt paginam. Trillerus.

§ 239.

Inter externa praesidia summum usum habent hirudines et cucurbitae, quibus quippe quam proxime, et sine virium dispendio, inflammatae parti detrahatur sanguis; tum quoque emplastrum ex Cantharidibus, quod, eodem monente Burserio, egregie cum discutit et fractam phlogosin resolvit, tum ulcere inducto, extrorsum humorum allicit cursum.

§ 240.

De pleuritide librum aureum scripsit Daniel Guilielmus Trillerus, ad cujus in observanda Natura diligentiam accedant praeclara Sydenhami praecepta. Legantur quoque morbi historiae, sectione cadaverum diligenter illustratae, quas narravit Fridericus Wendtius; tum etiam observationes atque praecepta Clarissimi Caroli Strackii. Neque tamen, propter horum aliorumque scriptorum praestantiam, flocci pendere oportet, quae nostra aetate docuerunt Viri expertissimi Gendrin, Laennec et Andral.

Th. Sydenham, Observationes medicae circa morborum acutorum historiam et curationem; Sect. VI., Cap. III.

D. W. Trilleri Succincta commentatio de pleuritide ejusque curatione; adjectis simul decem singularibus pleuriticorum historiis. Francof. ad M. 1740. 8vo.

F. Wendt, Observationes de Pleuritide et Peripneumonia. Gotting. 1762; in Sandifortii Thesaur. Dissert. etc. Tom. II., pag. 87 seqq.

C. Strack, Nova theoria Pleuritidis verae et recta ei medendi ratio. Mogunt. 1786. 8vo.

Gendrin, l. l. Tom. I, pag. 61. seqq. Laennec l. l. Part. II., Sect. V., Chap. I., 3me édit. Tom. II., pag 282 seqq. Andral l. l. Tom II., pag. 423 seqq.

§ 241.

Si quis Hippocratis, Aretaei, Galeni, Pauli Aeginetae, aliorumque Graecorum veterum de pleuritide testimonia cognoscere eaque cum doctrinâ recentiorum comparare cupiat, praeter fontes ipsos, doctissimas adire poterit commentationes Ernesti Godofredi Baldingeri, viri de studio Hippocratico meritissimi. Trillerus quoque commentationi suae adjecit *selecta quaedam capita de Pleuritide, e tribus praestantissimis prisci aevi Medicis latinis, Cornelio Celso, Caelio Aureliano et Theodoro Prisciano excerpta.* Denique de pleuritide impura, vel biliosam, vel aliam epidemiam naturam habente, breviter quidem sed praeclare scripsit Philippus Georgius Schroeder.

E. G. Baldinger, Commentatio I, II et III de sede pleuritidis; in C. G. Gruneri Delectu Dissertat. Jenensium, vol. I. Altenb. 1779 4to, pag. 144 seqq.

P. G. Schröeder, Analecta de pleuritidum partitione, in primis quoad febrium iis conjunctarum differentias; in Opusc. medic. studio J. C. G. Ackermann, vol. I, Norimberg. 1778, 8vo. pag. 93 seqq.

De inflammatione mediastini, pericardii, cordis.

§ 242.

Auctore Freindio, primam inflammati mediastini descriptionem dedit Arabum Medicus Avicenna, cujus picturam morbi, quem ipse perpessus est, confirmarunt observationes Petri Salii Diversi. Hic quippe notavit in ejusmodi aegrotantibus febrem adesse acutam; inquietudinem magnam et sitim ingentem; respirationem frequentem et celerem, non tamen dif-

ficilem et anhelosam; pulsum pleuriticorum pulsui similem; aestum magnum circa thoracem medium; et doloris loco, angustiam quandam ad sternum, praesertim percipiendam, dum aegri inspirant.

Quae symptomata illustrata videas aegrotantis cujusdam historiâ, quam Salius narravit, non neglectâ sectione cadaveris. Inter scriptores recentissimos, casum memorabilem notavit Cl. Andral, additis quoque iis, quae in cadavere reperta fuerunt.

P. Salii Diversi De febre pestilente Tractatus: accesserunt curationes variorum morborum etc. Bononiae 1584. 4to. Cap. VI, pag. 247.

Andral, l. l. Tom. II, pag. 517 seqq.

§ 243.

Notant pericardii et cordis inflammationem, aestus et dolor obtusus in medio pectore ad latus sinistrum, parum aut nihil aucti ab inspiratione et a pressione externâ; anxietas summa cum sedendi cupiditate; pulsus valde mutabiles, plerumque irregulares, debilissimi, vacillantes; syncope aut alia symptomata nervosi generis; sanguinis venosi in cute congestio.

§ 244.

In dignoscendo hoc inflammationis genere, eum usum habet tubus acusticus, ut doceamur, dyspnoeam, anxietatem et alia symptomata non pendere a morbo pulmonum. Praeterea autem, stethoscopio usi, validos cordis ictus, quales morbi initio locum habent, dein vero eosdem obscuros, debiles aut irregulares, melius percipere possumus. Si copiosa humoris serosi exsudatio facta fuerit, percussio in regione cordis, sonum suffocatum, subinde vix ullum edit. Post exsudationem autem fibrosam aut albuminosam, quâ tomentosum fit cor, quasi lanugine tectum esset, strepitus peculiaris, qui ad triturationem inter cor et

pericardium refertur, per tubum acusticum audiri dicitur.

§ 245.

Causae ut plurimum latent. Saepe rheumatismum acutum inflammatio cordis aut membranae serosae, quâ tegitur, excipit. Neque parvi facienda videtur animi pathematum vis.

§ 246.

Non nisi repetitâ sanguinis detractione, cum universali tum locali, sanari posse videntur cordis et pericardii inflammatio, satis mature cognitae.

§ 247.

In mortuis, inflammationem praegressam declarant maculae exiguae, roseo colore instructae, in tunicâ serosâ cum cordis tum pericardii conspiciendae; tum etiam serum, in speciem hydropis secretum, limpidum, flavum, turbidum, albicante puris colore, aut rubedine sanguinis instructum; materies plastica, membraniformis, exteriorem cordis superficiem obducens, neque raro cum pericardio conjungens, ita ut utramque partem tomentosam, pilosam, hispidam, quasi calce aut holosericeo obductas, videamus.

§ 248.

De utroque inflammationis genere cum suas tum aliorum observationes copiose exposuerunt Johannes Senacus et Johannes Baptistà Morgagnius. Nostrâ autem aetate de inflammato corde et pericardio ita scripserunt Johannes Nicolaus Corvisartus et Clarissimus Andral, ut optimi sint de hoc morbi genere naturae interpretes.

J. Senac, Traité de la structure du coeur, de son action et

de ses maladies. Paris 1749, 4to. vol. II, livr. IV, chap. V, § VI, pag. 345 seqq. et chap. VII, pag. 380 seqq. (2me édit. (par A. Portal) Paris 1774).

J. B. MORGAGNIUS, De sedibus et causis morborum etc., locis quam plurimis, quorum plerosque indicabit *Index morborum* etc.; in v. v. *cor* et *pericardium*.

J. N. CORVISART, Essai sur les maladies et les lésions organiques du coeur et des gros vaisseaux. etc. Paris 1806. 8vo. pag. 3 seqq., 243 seqq., 236 seqq. (Editio 3tia. Paris. 1818).

G. ANDRAL, Clinique médicale etc. 2me édit. Tom. II. pag. 517 seqq.

De inflammatione diaphragmatis.

§ 249.

Diaphragmatis inflammationem crebrius, quam quis credat, accidere, auctor est Boerhavius. Inflammationi huic propria sunt: febris acuta, continua; dolor admodum violentus, ab inferioribus costis et a cordis scrobiculo, ad ultimas dorsi vertebras extensus, multum intendi solitus ab inspiratione, tussi, sternutatione, alimentorum in ventriculum descensu, mingendi et deponendi conamine, tum etiam a pressione externâ; respiratio parva et frequens, a solo thorace peragenda; pulsus celerrimus, exilis, durus; praecordia, ut Celsus habet, sursum contracta.

§. 250.

Ad dira ista symptomata aliquando accedunt risus Sardonicus, singultus, convulsiones, delirium et furor. Quos tamen morbi effectus saepius abesse, Thomae Willisii, Theophili Boneti, Morgagnii, Antonii Haenii aliorumque observationes docuerunt.

§ 251.

Morbi indoles, exitus et sanatio cum pleuritide

proxime conveniunt. Neque tamen methodum stricte antiphlogisticam ad sanandum morbum semper sufficere, docet Chirurgi nautici historia, quam narravit Huxhamus. Praeter praesidia alia, cucurbitae cruentae saepius repetitae, praesertim conveniunt.

§ 252.

De hoc inflammationis genere legantur Johannes Baptista Morgagnius, Antonius de Haen, et inter recentiores Cl. Andral. Doctam Commentationem historicam de eâ scripsit Philippus Georgius Schroederus, et inter nostrates Doct. Klijnpennink.

J. B. Morgagnius, l. l. Epist. VII artic. 13 et 14; Epist. VIII. 25; XXI. 35. 36; LIII. 5. 6.

A. de Haen, Ration. medendi etc. Part. IX. Cap. I. § V; edit. Vienn., pag. 28 seqq.; Cap. II. § VII. pag. 66 seqq.

P. G. Schroeder, Diss. de inflammatione diaphragmatis. Gott. 1771; in Opusc. Medic. collect. vol. II. pag. 260 seqq.

J. R. Klijnpennink, Antwoord op de vraag over het juiste denkbeeld, de kenteekenen enz. der Paraphrenitis; in Handelingen van het Geneeskundig Genootschap *Servandis Civibus*, XVI D., Amst. 1792. 8vo., pag. 3 seqq.

G. Andral, Clinique médicale etc. 2me édit. Tom. II. pag. 494 seqq.

De Hepatitide.

§ 253.

Praecipua inflammati hepatis signa sunt, strictura et dolor in hypochondrio dextro sub costis spuriis, febris continua, sitis magna, urina rubra vel obscurius colorata, alvus suppressa.

§ 254.

Caeterorum symptomatum ratio differt, prout in-

flammatio sedem habet in convexa vel concava hepatis parte, prout accensa est in membranâ serosâ investiente, vel in ipso parenchymate, prout morbus acutus vel chronicus est.

§ 255.

Si inflammatio partem jecinoris superiorem atque convexam praesertim corripuit, haec notantur symptomata: dolor peracutus, punctorius, cum pleuritico fere conveniens, neque raro ad jugulum usque adscendens; respiratio a solo thorace, potissimum sinistro, peracta; inspiratio laboriosa, exspiratio facilis; pulsus celer, subinde durus et contractus; decubitus supinus, et ut plurimum, in latus dextrum facilior. Denique, quae Celsi verba sunt, frequens singultus, et praeter consuetudinem continuus, jecur inflammatum esse significat.

§ 256.

Ubi in inferiore et cava jecinoris parte magis consistit inflammatio, corpus facilius convertitur, dolorque levior est, nec cum motu diaphragmatis increscit: sed ingens nausea movetur, ac vomitus; praecordia vehementius oppressa sunt; hypochondrium dextrum intentius tumet; cutis universa colore flavo defoedatur. Macbride.

§ 257.

Inflammato ipso hepatis parenchymate, dolor ut plurimum obtusus aut gravativus est: inflammatam membranam serosam, doloris, febris et pulsuum ratio declarat.

§ 258.

Obscuriora sunt *hepatitidis chronicae* symptomata, et plerumque, aut certam vix diagnosin admittunt,

aut, ab ipsis adeo aegrotantibus vilipensa, a medentibus praetervidentur. Continua interim febricula cum ardoris, doloris, tensionis, plenitudinis ad hepar sensu, ad attactum aucto; cum decubitu, ob haec ipsa, in latus vel hoc, vel illud difficili; frequens ad scapulam dolor, nariumque stillicidium, aut haemorrhoïs, causarum denique praegressarum attenta consideratio, aliquam hic lucem accendere queunt. Frankius.

§ 259.

Ad hepatis inflammationem disponunt aetas adulta, temperamentum cholericum et melancholicum. Occasionem praebent aër humidus calori nuptus; major aestatis calor; subita aëris mutatio; spirituosorum abusus; animi pathemata, ira potissimum et livor; suppressae haemorrhagiae; laesiones externae, partium quoque remotarum, ut cerebri.

§ 260.

Morbus, in regionibus saltem, quae temperatae sunt, non adeo acutum et celerem decursum habet, quam multae aliae phlogoses abdominales. Chronicae hepatis inflammationes valde frequentes sunt, et per menses aut annos durare possunt.

§ 261.

Solvit autem lienis et hepatis inflammationes sanguis e naribus profluens, quum haec viscera una cum acutis febribus habent inflammationes. Et omnes, quae in praecordiis fiunt, calidae atque acutae inflammationes fluxu sanguinis judicantur. Oportet autem per directum fluere sanguinem, ex dextra quidem nare, hepate affecto vel locis in dextris praecordiis posi-

tis, ex sinistra autem, liene et locis vicinis; juvat autem et sudor bonus omnes, quae sunt in praecordiis, inflammationes calidas et acutas. Hepatis vero gibbae quidem partes inflammationem patientes tribus praecipue crisium modis obediunt, fluxibus sanguinis e nare dextra, et sudoribus bonis, et urinis abundantibus. Simae autem partes excrementis alvi biliosis atque sudoribus, nonnunquam vero et vomitibus. Galenus.

§ 262.

Inter Artis praesidia principem locum tenent, detractio sanguinis, universalis, topica; hirudines quoque ad venas haemorrhoïdales admotae, quas commendavit Celeb. Sarcone; remedia antiphlogistica, refrigerantia, leniter laxantia, clysmatum quoque formâ administrata. Sublatâ inflammationis vehementiâ, Mercurio dulci quandoque opus est, aut iis remediis, quibus diuresin promoveri constat.

§ 263.

Male vel imperfecte sanata hepatitis exitum habere potest: 1) in exsudationem fluidi serosi, unde nascuntur hydatides, hydrops hepatis, hydrops ascites; 2) in pseudo-membranas, quae hepar cum diaphragmate, peritoneo, ventriculo, intestino colo aliisque partibus praeter naturam conjungunt; 3) in physconiam sive enormitatem, saepe cum induratione, frequentius tamen cum emollitione morbosâ conjunctam; 4) in indurationem, suppurationem, gangraenam, rarissimam quidem, sed in febre flava interdum visam.

§ 264.

Induratio vel scirrhus hepatis exploratione per tactum aliquando detegi potest. Saepius eam comitan-

tur ingratus in dextro hypochondrio sensus; dyspnoea ad pastum aucta; vitiata digestio; pertinax alvi obstructio; ictericus vel luridus faciei color; oedema pedis dextri et alia symptomata sympathici generis.

§ 265.

Factam in hepate suppurationem auguramur: ex remissâ acutie doloris, sequente pulsatione, manente icterico cutis colore; ex gravitatis sensu, et tumore loci, a Medico aut adstantibus percipiendo; ex debilitate magnâ, horroribus vagis, febriculâ hecticâ, siti ingente. Stollius.

§ 266.

In abcessu hepatico rarissime pus bonum secernitur; plerumque ichor fuscus, decolor, foetidus, acer. Tale apostema vel unam vel plures simul detinet hepatis partes, et sensim universum hoc viscus depascitur. Aliquando per ductus hepaticos, monentibus Stollio et Frankio, saepius tamen per viam breviorem, praegresso hepatis cum aliquâ intestinorum parte coalitu, pus in primas vias effunditur, atque vel vomitu, vel diarrhoeâ expellitur. Saepe etiam abcessus rumpitur in cava abdominis, ita ut pus saniosum ea inundet et hydropem purulentum generet, vel etiam, diaphragmate perforato, in thoracem effundatur. Hepate autem cum peritoneo et musculis abdominalibus undique concreto, pus ad exteriora evacuari potest, saepe in aegrotantis salutem. Legantur observationes Johannis Pringlii et Jacobi Lindii, tum quoque exempla, quae collegit Petitus.

Des apostêmes du foye; Précis de plusieurs Observations, par feu M. Petit le fils; dans les Mém. de l'Academie royale de Chirurg. Tom. II. Paris 1753, 4to. pag. 59 seqq.

§ 267.

Singulos istos hepatitidis exitus tam magnâ exemplorum vi illustravit Johannes Baptista Morgagnius, ut antiquiorum Medicorum observationibus carere possemus, nisi in his quoque praeclara subinde miraremur Naturae medentis exempla: ad quem locum v. c. pertinet Cornelii Stalparti van der Wiel observatio quadragesima sexta ex Centuriâ primâ Observationum rariorum. Quo autem modo organica hepatis structura ab inflammatione, recenter factâ aut ulterius progressâ, mutetur, inter recentiores optime docebunt Gendrinus et Andralius.

A. N. Gendrin, Histoire anatomique des inflammations. Tom. II. pag 229. seqq.

G. Andral, Clinique médicale etc. Tom. IV, 2me édit. Paris 1831. pag. 172. seqq.

§ 268.

Inflammati hepatis historiam optime illustrarunt Medici, regionum tropicarum nosographi, Jacobus Lindius, Johannes Clarkius, alii; inter recentiores Jacobus Johnsonus, Dominicus Johannes Larreyus, et Jacobus Annesley. — In quorum tamen lectione semper tenendum est Celsi praeceptum, differre pro natura locorum genera Medicinae. Quapropter non negligantur Stollii aliorumque de morbo, qualis in aëre temperatiore observatur, theoremata atque praecepta.

J. Lind, An essay on diseases incidental to Europeans in hot climates. London 1768. 8vo.; edit. Holland. Amst. 1781, pag. 94 seqq.

J. Clark, Observations on the diseases in long voyages to hot countries. London 1773. 8vo.

D. J. Larrey, Rélation historique et chirurgicale de l'expépition de l'armée d'Orient en Egypte et en Syrie. Paris 1803. 8vo.

J. Johnson, On the influence of tropical climates on European constitutions etc., ed. 4ta. London 1827. 8vo. Nederduitsche vertaling door J. M. Daum, Amst. 1824. pag. 257 seqq.

J. Annesley, Researches into the causes, nature and treatment of the more prevalent diseases of India and of warm climates generally. Vol. I. London 1828. 4to. cum tabul. color. pag. 293 seqq.

De Splenitide, seu inflammatione Lienis.

§ 269.

Licet inflammati lienis satis frequentem mentionem fecerint Galenus, Alexander Trallianus aliique Medici veteres, suspicari tamen licet, quod saepius morbos vicinarum partium sub titulo lienis male affecti descripserint. Lienem quippe minus frequenter, quam alia viscera, inflammari, docuerunt Gerardus Swietenius, Johannes Petrus Frankius aliique expertissimi Medici.

§ 270.

Praecipua signa inflammati lienis sunt: febris acuta, continua; dolores lancinantes, pungentes, obtusi, sinistrum hypochondrium occupantes, quandoque ad humerum, mammam et claviculam in eodem latere protensi; dolores aucti a pressione externâ, ab inspiratione et motu graviori corporis; symptomata denique sympathici generis, ab affecto diaphragmate, ventriculo, rene.

§ 271.

Aliquando tamen acutas lienis inflammationes confundi cum pleuritide, casu memorabili, quem observaverat Antonius de Haen, probavit Swietenius. Fre-

quentiores sunt Splenitides chronicae, cum causae tum effectus morborum aliorum, praesertim febrium intermittentium. Cavendum tamen, ne auctior sanguinis ad lienem congestio *inflammationis* nomine insigniatur.

§ 272.

Lieni nocet aër crassus et qui est circa paludes et stagna, cibi crassi et faeculenti; — aquae potus et praecipue post pastum et laborem nimium, imprimis impurae vel valde frigidae; ebrietas et crapula, animi etiam pathemata, in primis timor et moestitia continuata et ira. Sennertus.

§ 273.

Frequentissimus inflammati lienis exitus est in enormitatem, vel cum induratione, vel cum emollitione conjunctam. Qualia praegrandis lienis exempla, cum a se tum ab aliis observata, descripsit Morgagnius Epistolae XXXVI artic. 18. Inflammatum lienem aliquando terminari in suppurationem, observatio, quae apud Swietenium legitur, et multae Portalii observationes docent. Idem hic Vir Clarissimus testatur, non adeo infrequentem esse morbi exitum in gangraenam, cognoscendam cum ex atro colore et emollitione, tum ex foetore summo: ita ut inde stabiliri videamus Morgagnii observationes de lienis sphacelo et gangraenoso livore.

G. van Swieten in Boerhavii § 958; Comment. Tom. III. pag. 153 seqq.

A. Portal, Cours d'Anatomie médicale, Tom. V. Paris 1805. pag. 335 seqq.

§ 274.

In inflammatione lienis aliquando critica symptomata adsunt, haemorrhagia praesertim e nare sinistra, aut alvus sanguinolenta.

§ 275.

Ad morbum sanandum ars praecipit venae sectionem in brachio sinistro, hirudines et cucurbitas cruentas loco dolenti admovendas, vel etiam sanguinem vasis haemorrhoïdalibus detrahendum. Praeter ea usum summum habent remedia leniter laxantia, resolventia blanda, salia neutra mitiora.

§ 276.

De hoc morbi genere, praeter scriptores memoratos, legantur Carolus Fredericus Heusingerus et Stanislaus Grottanellius, cujus observationes eo majorem usum habent, quo major sit locorum, in qnibus factae sunt, cum patriâ nostrâ convenientia.

K. F. Heusinger, Betrachtungen und Erfahrungen über die Entzündung und Vergrösserung der Milz. Eisenach 1820, 8vo.

S. Grottanelli, Animadversiones in acutae et chronicae Splenitidis, in humilibus praesertim Italiae locis consideratae, historiam. Florent. 1821, 8vo.

De Gastritide.

§ 277.

Notant ventriculi inflammationem: dolores in epigastrio, cum ardoris et stricturae sensu conjuncti; nausea et vomituritio; sitis magna et anxietas summa; subitanea assumptorum rejectio, cum plerorumque symptomatum incremento a quâvis ventriculi irritatione. Pulsus sunt parvi, celeres, contracti, vel et inaequales et intermittentes; lingua praeter modum rubra et sicca est, aut etiam crustâ mucosâ tecta et marginibus rubernimis circumdata; frigus extrema detinet; summa virium prostratio oritur; facies notatur collapsa, aut

symptomata accedunt nervosi generis, deliria, convulsiones, lipothymiae.

§ 278.

Attenta tam diri morbi consideratio, ac frequens cadaverum perlustratio docuerunt, ventriculum vel totum vel ex parte, nunc profunde satis ac *phlegmonosa* inflammatione, nunc vero superficiali ac *erysipelacea* phlogosi laborare. J. P. Frank. — Ad quam specierum diversitatem attendisse juvat, ut intelligamus eos morbi casus, in quibus omnem dolorem aut etiam febrem abfuisse constat. Haec autem plenius explicanda sunt, ubi dicturi sumus de Enteritide.

§ 279.

»Verum cum ea sit natura Medicinae, ut eadem non semper ad eundem modum respondeant; haec, quae diximus, ita accipe, ut, si quando pleraque eorum indiciorum videas convenire, suspiceris saltem, cauteque deinceps et perattente cetera observes.'' Morgagnius.

§ 280.

Occasionem praebent laesiones externae et res deglutitae variae, vi mechanicâ, chymicâ, dynamicâ ventriculo infestae, ut ossa aut alia corpora acuminata, venena varia, potus frigidus aestuante corpore, spirituosorum abusus. Inter causas sympathicas referantur vulnera capitis, exanthemata retropulsa, haemorrhagiae suppressae.

§ 281.

Summa hunc morbum, ob sensilissimam ac consentientem ventriculi cum universo corpore naturam, pericula premunt; sub quibus, tam celeri nonnunquam morte rapiuntur aegroti, ut convulsione magis,

aut momentanea actionum vitalium abolitione, ex solo nervorum in easdem imperio derivandâ, quam alio videantur exstingui inflammationis eventu. Frankius.

§ 282.

In hominibus hoc morbo defunctis, vel inflammationis signa apparent, ita ut tunica mucosa hinc inde maculis rubris sit variegata, aut factae suppurationis, ulcerationis, gangraenae symptomata conspiciuntur. Singulos istos ventriculi inflammati effectus insigni observationum copiâ illustravit Morgagnius. Inter recentiores autem indefessus Gendrin perspicue et accurate docebit varias inflammationis istius formas et species.

§ 283.

Aliquando factae per haemorrhagias, sudores, urinam, in primis vero per alvum, excretiones benignam morbi judicationem promittunt. Male ominantur vomitus assiduus, ita ut ne minima deglutiti portio retineatur; pulsus post venaesectionem quoque parvi et celeres; singultus frequens; extremorum frigus; convulsiones; faciei deformitas.

§ 284.

Causae, quae occasionem praebuerunt, ipsâ inflammatione jam ortâ, impugnari non amplius possunt. Quae Medici de methodo emeticâ et de venenorum antidotis praeceperunt, ea utique ad expellendam aut corrigendam materiem ingestam, adeoque ad praecavendam inflammationem, ad hanc autem tollendam minime facere possunt. Quapropter praecipua Medici cura in eo occupatur, ut factam inflammationem, quam primum fieri possit, minuere et auferre studeat.

§ 285.

Praesens vero stomachi inflammatio, si phlegmonosam habere indolem, et cum inflammatoriâ febre incedere videatur, venae sectionem promptam, abundantem, nec a pulsuum parvitate, nec ab extremitatum frigore, vitalisque principii inertiâ arcendam, pro symptomatum atrocitate saepius, et ad regulas alibi expositas, repetendam, sibi exigit. Frankius.

§ 286.

Aliquando maximam opem periclitantibus ferunt hirudines ad ventriculi regionem appositae, cucurbitulae cruentae ad superiorem abdominis partem applicatae, fomenta et cataplasmata tepida dolenti loco imposita, clysmata emollientia, balneum universale ex aquâ tepidâ, largum denique emplastrum ex Cantharidum pulvere paratum.

§ 287.

Interna remedia vel clystere per anum injicienda, vel parvâ simul copiâ per os assumenda sunt. Conducunt maxime demulcentia, mucilaginosa, oleosa, ut vitelli ovorum, mixtura gummosa cum saccharo lactis, emulsio amygdalina. A medicamentis salinis, purgantibus, narcoticis sedulo abstinendum est.

§ 288.

Ventriculi inflammatio accuratius cognosci coepit a tempore Boerhavii atque Hoffmanni. Hic morbi symptomata accuratissime indicavit et interpretatus est, tum quoque, quid antiquiores de eo praeceperint, indagavit: ille breviter et prudenter, cum morbi signa, tum artis praesidia indicavit. Boerhavium secuti sunt

Swietenius, Stollius, Frankius, quos et nunc legisse neminem poenitebit. — Ut symptomatum intelligatur fallacia, legi merentur, quae scripsit Antonius de Haen in *Ratione medendi.* — Recentiorum de hoc morbi genere labores elicuit Franciscus Josephus Victor Broussais, cujus observationes et morborum historiae commendandae sunt provectioribus, criticam adhibere scientibus.

F. Hoffmann, Dissertatio medico-practica de inflammatione ventriculi, frequentissimo sed parum cognito morbo; in Opp. Omn. physico-medic. Tom. VI, Genevae 1740. fol. pag. 223 seqq.

A. de Haen, Ration. medendi in Nosocom. Vindob. etc. Part. VI Cap. VI; Part IX Cap. I § 4 et Cap. II § 6.

F. J. V. Broussais, Histoire des Phlegmasies ou inflammations chroniques, fondée sur de nouvelles observations de Clinique et d'Anatomie pathologique; 4me édit. Tom. II Sect. II Chap. I. (in libri editione a Bruxellensibus repetitâ, pag. 451 seqq).

De Enteritide.

§ 289.

Intestinorum inflammatio, quae cum et sine Gastritide locum habere potest, sociam habet febrem continuam, et dolore stipatur immani, urente, fixo, occupante potissimum regionem umbilicalem, per vices quidem moderato, sed mox redeunte et ad summam atrocitatem aucto: ad quem accedunt nausea, vomitus, alvi obstipatio, borborygmi dolorifici, tormina ventris, pulsus celeres et contracti, lingua sicca et arida aut rubedine praegrandi suffusa. In provectiori morbo tympanites, spasmi et convulsiones oriuntur, facies deformatur, oculis insoliti quid et quasi terrefacti habentibus. Pressione externâ dolores non augentur,

nisi, praeter mucosam, reliquae intestinorum tunicae simul patiantur.

§ 290.

Plerumque vehemens dolor et acuta febris inter praecipuas notas magnae intestinorum inflammationis ponenda sunt. »Nec tamen si quando alterum vel utrumque horum aut abesse, aut vix esse invenies, continuo putabis, aut nullam esse inflammationem aut levem, neque gangraenam et sphacelum in eorum esse intestinis non posse, in quibus duo illa praecessisse non videris. Optandum sane fuisset, ut Medici, cum signa hujus inflammationis et consequentis ipsam gangraenae proposuerunt, hoc monitum non omisissent in morbo, qui per fallaciam ejusmodi, nec raro, praeceps ac repentinum affert exitium." Morgagnius.

§ 291.

Quae cum ita sint, Albertinum rogavit Morgagnius, ex quibus igitur signis latentis inflammationis periculum intelligere et praenuntiare saltem possimus. Ille vero, ex pulsu inquit, abdomine, facie. Pulsus enim humilis et debilis potius, et qui, si bene attendas, sibi subobscure dissimilis sit: abdomen autem tensum et durum, et cum dolore quodam; facies denique insoliti aliquid, sed in aliis aliud ostendens, ut interdum oculos quasi exterrefactos, alias livorem quemdam circum labra animadvertas.

§ 292.

Praeterea notandum est, symptomata differre pro gradu inflammationis, et pro sede quam occupat. Inflammationem in intestinis crassis notant aliquando diarrhoea et graves tenesmi.

§ 293.

Praeter causas, ventriculi inflammationem excitantes, notari merentur impedimenta, cum mechanici tum dynamici generis, quae in herniâ incarceratâ et in volvulo locum habent.

§ 294.

Enteritis morbus plerumque est acutissimus, a quo aliquando convulsi pereunt aegrotantes, in ipso inflammationis vigore. Morbus ultra triduum cum vehementiâ persistens, modo inflammationibus caeteris communi, terminatur in suppurationem aut in gangraenam. In scirrhum enim, ulcera, membranae mucosae emollitionem, et quae alia sunt organica vitia, proclivior est chronica morbi species. Subinde tamen in acutâ quoque enteritide accidit, ut per anum secedant membranae spuriae, tunicam villosam intestinorum aliquatenus referentes.

§ 295.

Si in ipso morbi vigore exstinguantur aegrotantes, signa inflammationis post mortem luculenter apparent. Tunica mucosa profundius et satis aequabiliter rubet, villi majores conspiciuntur, ipsiusque interioris tunicae crassities non raro aucta est. Gangraenae post mortem repertae multa exempla narrarunt Morgagnius aliique: partem tunicae emortuam, emollitam et griseo colore obsessam rubor lividus, crenae adinstar, circumdat: aliquando etiam reliquae tunicae simul gangraenâ corripiuntur, earumque subinde perforatio locum habet.

§ 296.

Exitum in gangraenam indicant subita dolorum, post summam vehementiam, intermissio; pulsus parvi, cele-

res, intermittentes; sudor frigidus; facies collapsa cum frigore partium extremarum, narium, linguae; tympanites, et dein alvus copiosa, fluida, foetens, involuntaria; delirium mite taciturnum, vel etiam alacritas ingenii et species mentis vatidicae.

§ 297.

Quam memoravimus, morientium divinationem paulo accuratius indicare poterunt verba Aretaei Cappadocis: »Animus constans rursus efficitur: puri sensus omnes: ingenium subtile: mens vatidica; quo fit, ut in primis vitae suae finem adesse praesentiant; dein adstantibus futura praedicant; sunt quidem nonnulli, qui eos aliena loqui arbitrentur, sed cum praedicta evenerint, homines admiratione obstupescunt. Alii cum quibusdam defunctis etiam colloquuntur, quos praesentes ipsi fortasse soli prae tenui puroque sensu adspiciunt: aut forte ipsorum animo viros, quibuscum versaturi sunt, praenoscente atque declarante. Is quippe antea erat in humorum illuvie et caligine demersus: postquam autem ista morbus exhauserit, tenebrasque ab oculis dispulerit, quae gerantur in aëre, enarrant, mentemque quasi nudam habentes veracissimi vates evadunt. Quicumque vero ad istam humorum animique tenuitatem pervenerint, vix supersunt, quia facultas ipsorum vitalis jam in auras evanuerit."

§ 298.

Enteritis iisdem remediis sanatur, quae in gastritide commendata fuerunt, sanguinis detractione potissimum, universali, topica; hirudinibus ad anum vel ad locum dolentem appositis; clysmate emolliente, saepius repetito; balneo tepido; fomentis calidis, humidis; remediis denique involventibus, demulcentibus. Quando conveniant

vesicatoria aut epispastica alia, ex inflammationis naturâ et ex symptomatum concursu augurabitur Medicus.

§ 299.

De intestinorum inflammatione praeclare scripsit Morgagnius, cujus vestigia inter recentiores, presserunt, praeter alios laude dignos, Alexis Pujol et Doctissimus Prost.

J. B. Morgagnii de sedibus et causis morborum Epist. XXXV artic. 20. 21. 22. 23.

A. Pujol, Essai sur les inflammations chroniques des viscères; dans le Tome Xme des Mémoires de la Société royale de Médecine; ou dans ses oeuvres de Médecine pratique etc. par F. G. Boisseau. vol. I. Paris 1822. 8vo.

P. A. Prost, Médecine éclairée par l'observation et l'ouverture des corps. Paris 1804. II vol. 8vo.

De Nephritide.

§ 300.

Renum inflammationem adesse docent dolores ardentes, acuti, lancinantes, aliquando tamen gravantes, obtusi, pulsantes, locum, in quo renes sunt collocati, ad unum vel ad utrumque latus, detinentes, cum parcâ urinae, quae vel ruberrima et flammea, vel aquosa et limpida est, secretione et excretione, cum symptomatibus deniqúe sympathici generis, nauseâ, vomitu, anxietate et febre continuâ. Pulsus, Aretaeo notante, ab initio rarus segnisque: quando malum vehementius urget, parvus, creber, tumultuosus, inordinatus: somnus tenuis, cum dolore, non continuus: nam e somno, perinde ac si quis eos pupugerit, prosiliunt, ac rursus in soporem, tanquam lassitudine confecti, devolvuntur; mentis non magna alienatio est, paululum tamen delirant; facies livet.

§ 301.

Dolores nephritici a simplici corporis pronatione non augentur, valide vero intenduntur a pressione externâ in locum dolentem factâ, a decubitu in abdomen, aut in latus oppositum, a statione longius protractâ, a calore lecti, a partium vicinarum intentione ad tussim, ad alvi excretionem, similia. Qui lumbagine laborant, in terram incurvati et exinde erecti, adeo dolent, ut, quae Baglivii vox est, per medium scindi sibi videantur.

§ 302.

Symptomatum diversitas pendet ab inflammationis sede, vel ipsum renum parenchyma, vel membranam serosam, quae renes investit, occupantis. Saepe etiam inflammatio in ureteres et in vesicam propagatur, unde explicanda sunt stupor cruris vicini, dolor inguinis, testiculus ad annulum abdominalem retractus, alia.

§ 303.

In morbum pracliviores sunt homines aetatis adultae, ii praesertim, qui ex parentibus podagricis nati sunt. Eum tamen minime infantibus parcere, observationes docent, quas habent Theophilus Bonetus et Fabricius Hildanus. Causae excitantes sunt calculi renales, haematuria suppressa, laesiones mechanicae externae, fortiores corporis motus, ut in saltu et equitatione, decubitus diuturnus in dorsum, spirituosorum abusus, remedia acria, urinam pellentia. Inter sympathicas causas pertinent aliarum partium inflammatio, suppressa exanthemata, haemorrhagiae turbatae, alia.

§ 304.

»Ex centum nephritide laborantibus octoginta et amplius renem sinistrum dolent, experientiâ teste."

Hanc Caroli Pisonis observationem, a Dodonaeo prius jam factam, confirmarunt Hermanus Boerhavius, Fredericus Hoffmannus, Johannes Baptista Morgagnius. Cujus phaenomeni rationem in eo quaerendam esse opinatur Hallerus, quod sanguis multo facilius, ob breviorem ac liberiorem emulgentem venam, revehatur e rene dextro.

§ 305.

Casum memorabilem renis utriusque inflammatione correpti cum Illustrissimo Swietenio communicavit Paulus de Wind, Medicus Medioburgi apud Zelandos quondam clarissimus. Saepe etiam fit, ut, propter inflammationem otiante rene alterutro, alter quoque consensus lege, patiatur, secretionemque suam perficere cesset.

§ 306.

In cadavere, inflammationem renis praegressam declarant substantia corticalis laete rubens, et sanguine adeo turgida, ut ex eâ dissectâ sponte effluat cruor, substantia autem tubularis rubedine obscurâ insignis, et papillae compressae, loco urinae pellucidae, humorem tenuem et sanguine tinctum stillantes.

§ 307.

In acuta nephritide resolutio exspectanda est ante diem septimum. Interdum, morbi initio, salutaris fit haemorrhagia, praesertim per haemorrhoïdalia vasa. Praeterea Natura huic inflammationi medetur urinâ copiosâ, crassâ, rufâ, ante diem septimum, vel decimum quartum.

§ 308.

Ut Naturae auxilietur ars Medicorum, praeter san-

guinis detractionem universalem vel particularem, remedia adhibet involventia, emollientia, oleosa; clysmata emollientia; balnea tepida. Abstinendum a nitro aliisque salibus, a vesicatoriis, a lecto calido, a decubitu in dorsum.

§ 309.

Si inflammatio acuta ultra septimum diem excurrit, metuenda est suppuratio, quâ factâ, utendum est lacte, emulsione amygdalinâ et remediis mucilaginosis, quamdiu irritationis signa supersunt. In phthisi renali subinde prodesse possunt Lichen Islandicus et cortex Peruvianus: remedia vero detergentia, balsamica, diuretica plerumque nocuisse visa sunt.

§ 310.

Factus in rene abcessus non unâ ratione terminatur. Is aliquando post mortem demum, secto cadavere, apparet, exspectato magis, ob symptomata praegressa, solius vesicae quam renis alterutrius morbo, cujus rei exemplum habemus in rene dextro Burserii et in historiâ morbi, quam in Epitome sua narravit Frankius. Saepe tamen magna puris in rene formati copia ad vesicam urinariam transmittitur et cum lotio evacuatur. Interdum renem suppuratione exesum et in saccum fere membranosum mutatum cernimus. Raram purulentae dejectionis causam invenit Duverneius, renem sinistrum quippe suppuratum, cum intestino colo coalitum, et in hujus cava apertum. Denique abcessus nonnunquam extrorsum tumet, sponte vel arte aperiendus.

§ 311.

Quin etiam aliquando in gangraenam terminar

renum inflammationem, docet observatio, quam de filio suo septenni narravit Guilielmus Fabricius Hildanus.

De Lithotomiâ vesicae, cap. XXV; in Operr. observationum et curationum medico-chirurgicarum. Francof. 1682, fol., pag. 749.

§ 312.

Nephritide terminatâ in indurationem, quod fieri consuevit in chronicâ morbi formâ, oriri solent hydrops, tabes, morbi insanabiles alii.

§ 313.

De renum inflammatione legi praesertim merentur Gerardus Swietenius, Michaël Troja, Franciscus Chopartus.

G. van Swieten in Boerhavii § 993 seqq.; Commentar. Tom. III. pag. 222 seqq.

M. Troja, Lezioni interno ai mali della vescica orinaria etc. Napoli 1785—1788. II vol. 8vo. Vers. Germ. Ueber die Krankheiten der Nieren, der Harnblase etc. Leipz. 1788. 8vo.

F. Chopart, Traité des maladies des voies urinaires. Paris 1791. 8vo. Nouvelle édition. Paris 1821. II vol. 8vo.

De Cystitide.

§ 314.

Notant vesicae urinariae inflammationem dolores assidui, urentes, pungentes, lancinantes, qui pubis regionem occupant, et quandoque in perinaeum usque extenduntur, pressione externâ multum augendi. Ad haec accedunt strictura infimi ventris, aliquando cum tumore conjuncta; diuresis parca vel penitus suppressa; magna sed saepe vana mingendi cupiditas; urina flammea, ruberrima, aut mucosa; vomitus sympathici, aeruginosi. At si malum vehementius increscat (qui-

bus verbis utitur Aretaeus) accedunt febris cum singultibus; pulsus inordinatus, creber et exiguus: facies rubet: urget sitis: molestià et delirio et nervorum distentionibus infestantur.

§ 315.

Causae sunt, lapsus in corpus durum, perinaeo illidens; calculi acuminati aut arenarum in vesicâ degentium irritatio; cystotomia, lithotritia, paracenthesis vesicae; rudior catheteris administratio; partus difficilis, versione vel forcipe terminatus; ischuria diuturna; remedia acria, diuretica; stimuli rheumatici, arthritici, syphilitici, herpetici generis; mensium aut haemorrhoïdum suppressio; morbi partium vicinarum.

§ 316.

A vesica inflammata maximum saepe discrimen vitae aegrotantium imminet, et adeo celerem morbus subinde cursum habét, ut non longa mortis mora interponatur.

§ 317.

Periclitantes tamen mortis metu liberat urina purulenta procedens, in qua album et leve subsidet. Praenot. Coac. — Praeterea solvitur morbus per sudorem, profusum, aequalem, vaporosum. Aliquando etiam solvitur inflammatio erysipelate juxta cutis superficiem oborto et persistente. Frankius.

§ 318.

Acuta vesicae phlogosis solitos inflammationis exitus habet, suppurationem atque gangraenam, cujus utriusque exempla narrarunt Morgagnius et Swietenius. Post chronicam inflammationem frequentius oriuntur, auctior tunicarum vesicae crassities, universalis, partialis; scirrhosa earum induratio aut callositas; denique ulceratio

vel alia membranae mucosae vitia. Saepe etiam inflammationis vi, coalitus praeter naturam oritur vesicae cum peritoneo, cum intestino recto, cum utero aliisque vicinis partibus.

§ 319.

Signa, quae ipsam vesicae inflammationem in cadavere produnt, minime dubia sunt. Tunica mucosa quippe aequabiliter plerumque et satis profunde rubet, tecta muco tênaci, aut filamentis ex muco et sanguine compositis. Licet universa vesicae compages crassior appareat, propter imminutam tamen tenacitatem justo facilius dilaceratur.

§ 320.

Quae contra renum inflammationem proposita fuerunt artis praesidia, ea in cystitide quoque salutem promittunt. Venae sectio praesertim insigniter prodest, cum coërcendo inflammationis vim, tum solvendo spasmum. Praeterea prosunt hirudines satis numerosae, ad perinaeum et supra arcum pubis appositae, clysmata emollientia, oleosa, cataplasmata et balnea tepida. Interne sumenda sunt remedia involventia, demulcentia, oleosa.

§ 321.

Quum urinae suppressio, quae morbi effectus est, irritatione suâ ipsam inflammationis causam perpetuo augeat, catheteris vel paracentheseos auxilio curandum est, ne vesica nimium dilatetur. In utraque tamen encheiresi, propter praesentem inflammationem saepius arduâ et plenâ periculi, observentur cautiones, quas commendant Chirurgi.

§ 322.

De Cystitide, praeter scriptores jam memoratos,

consulantur Petrus Josephus Desaltius et Johannes Howshipius.

P. J. Desault, Traité des maladies des voies urinaires; nouvelle édit. Paris 1813. 8vo.

J. Howship, Practical Treatise on the symptoms, causes, discrimination and treatment of some of the most important complaints, that affect the secretion and excretion of the urine etc. London 1823. 8vo. with plates.

De Metritide.

§ 323.

Gravissimum uteri malum inflammatio est, ea quidem quae totum uterum, non autem solam (quod saepius fit) ejus cervicem occupat. Vehemens dolor atque pulsans locum urget: isque, si anteriora magis afficiuntur, ad pubem pervenit, et urinae difficultatem aliquam, vel stillicidium parit: si posteriora magis inflammantur, alvus cohibetur, et dolor lumbos fatigat. Jam si in latere plus vitii est, protinus inguen intenditur, cruraque gravia difficulter moventur. Semper autem acuta febris inest, et multus capitis dolor. Dolent quoque cum distentione atque gravitate imus venter, pubes, coxae, vicinaeque his id genus partes. Lumbis etiam multus infestus ardor est. Incipit affici stomachus, doloreque et nausea, et singultu sollicitari. Ipsa autem faemina adeo parum commode in omnem partem corporis movetur, ut non sedere, non surgere, nisi summa difficultate, non pedibus ingredi, nisi quâdam claudicatione possit. Eadem moleste in id latus cubat, quod morbo caret. Porro si uteri cervix inflammationem sustinet, id quod frequentius fieri dixi, abdomen

dolet, ipsumque uteri os, admoso digito durum occurrit, fervidum atque praeclusum. Jodocus Lommius.

§ 324.

Symptomata differunt, pro eo ut inflammatio ex propriâ aut alienâ calamitate orta est, pro ut haec majorem aut minorem uteri partem occupat, praesertim vero pro ut incendium excitatum fuit in ipso uteri parenchymate, an vero in alterutrâ hujus visceris pagina. Prior species, ab aliis *phegmonosa* dicta, *metritidis* nomine insigniri meretur: posterior *catarrhus uteri* vocatur, si membranam interiorem mucosam occupat; ad *Peritonitidem* vero refertur, orta in membranâ serosâ, commune generis humani domicilium extus investiente.

§ 325.

In puerperio, praecipue post partum difficilem, uteri inflammatio non infrequens morbus est. Subinde tamen orta fuit metritis a causis laedentibus variis, citra Lucinae imperium positis, a mensibus suppressis, ab injectionum adstringentium usu, a frigore genitalibus incaute admisso, aestuante corpore, a lapsu aut percussione aliquâ violentâ.

§ 326.

Natura morbum hunc sanat aucto lochiorum fluxu, sudore critico, largâ diuresi, haemorrhagiâ ex aegrotante aut conspirante aliquâ parte, vel etiam muci foetentis, quandoque purulenti, e pudendis effluxu.

§ 327.

Uteri autem inflammatio gravior (quae Swietenii verba sunt) saepe omnes functiones encephali adeo turbat et opprimit, ut mors sequatur, antequam varii inflammationis exitus locum habere possint. Inter hos

autem uteri inflammati effectus, praeter reliquos phlogosium exitus, referri meretur phlebitis uterina suppuratoria, de quâ legantur Jacobi Wilsoni, Johannis Cruveilhierii aliorumque observationes.

J. Wilson's Lectures on the blood, and on the anatomy, physiology and surgical pathology of the vascular system of the human body. London 1819. 8vo.

J. Cruveilhier, Anatomie pathologique du corps humain etc. Paris ann. 1830 et suiv., fol., Livrais. IV. Pl. 6.

Rob. Lee, Researches on the pathology and treatment on some of the most important diseases of women. Lond. 1833. 8vo. Cap. II, Sect. V and VI.

§ 328.

Ad sanandam metritidem, si aegrotantis conditio, causae morbi, febrisque conjunctae natura permittunt, vel detractione sanguinis universali opus est, vel hirudines ad perinaeum et ad vaginae introitum, semel aut aliquoties, poni oportet. Prosunt praeterea injectiones tepidae in vaginam, clysmata emollientia, balnea relaxandi vi praedita, remedia oleosa et demulcentia. Aliquando salutem promittunt Mercurius dulcis et frictiones cum unguento Neapolitano.

§ 329.

Quae de uteri inflammatione notarunt Aëtius aliique antiquiores Medici, ea maximam partem indicavit Swietenius. Caeterum legendi sunt, qui de morbis uteri datâ operâ praeceperunt auctores.

G. van Swieten, in Boerhavii Aphor. 1329; Comment. Tom. IV pag. 615 seqq.

K. Wenzel, Ueber die Krankheiten des Uterus. Mainz 1816. fol. mit 24 kpf. vidd. pag. 23 seqq., 38 seqq.

Rob. Lee, On uterine inflammation in puerperal women; in Researches etc. Cap. II pag. 18 seqq.

De Peritonitide.

§ 330.

Comitantur peritonei inflammationem: febris continua, a frigore satis valido plerumque incipiens, cum pulsu parvo, duro, contracto, ut plurimum frequentissimo; dolores pungentes, lancinantes, fixi, mox latius diffusi, et adeo saepe acuti, ut aegrotantes supini et immoti jacere cogantur, neque abdomen, ne exterius quidem, tangi patiantur sine clamoribus aut facie doloris atrocissimi teste. Accedunt symptomata sympathici generis, alvus tarda, dysuria, nausea, vomitus, anxietas, jactatio, singultus, delirium, faciei deformitas, alia.

§ 331.

Inflammatio vel solam occupat membranam serosam, abdominis cavum succingentem, vel organa simul, quae ab eâdem formantur aut extimum involucrum habent, omentum, mesenterium, intestina tenuia et crassa, hepar, uterum, diaphragma, musculos lumbales, iliacos, caetera. Unde intelligitur symptomatum diversitas, subinde morbum hunc comitantium, si sensu latiori accipiatur.

§ 332.

Peritonitidi occasionem praebent, vis quaecumque huic parti illata, frigus ab infimo ventre sibi contractum, stimuli impuri generis aliunde advenae, affectio sympathica ab afflictis visceribus, quibuscum arctius cohaeret.

§ 333.

Epidemio more aliquando grassari peritonitidem,

in primis secundariam, ad febres gastrico-nervosas accedentem, notavit Johannes Petrus Frankius, harum rerum in epidemiâ Ticinensi oculatus testis, confirmarunt observationes memoratae a Doct. Pujol aliisque.

A. Pujol, Oeuvres diverses de Médecine pratique; édit. 1me Tom. IV, pag. 505.

F. J. V. Broussais, Histoire des Phlegmasies chroniques etc. Tom. III, Chap. IV, *De l'inflammation du Peritoine.*

§ 334.

Popularem non solum, sed etiam contagiosam naturam habet peritonitis exsudativa, quae in puerperis oritur, et plena discriminis esse consuevit.

§ 335.

Peritonitidem aliquando solvunt diarrhoea moderata, initio morbi accedens; sudor vaporosus, aequabilis et universalis; urina copiosa sedimento critico obsessa. Morbo in pejus ruente, oriuntur exsudatio, suppuratio, gangraena, vel alia organica vitia, cum in peritoneo, tum in adjacentibus partibus.

§ 336.

Inter hos inflammati peritonei effectus frequentissimus est *acutus purulentusque hydrops*, quo nomine Frankius exsudationis speciem, in quam peritonitis proclivis est, indicavit. Tunc quippe, post mortem, sat magna seri turbidi, flavidiusculi ac albescentis, tum non exigua lymphae coagulatae, quasi caseosae materiae, copia in abdominis cavo detegitur, partimque libere fluctuat, partim intestinis, peritoneo, mesenterio, omento, aut utero agglutinatur. Haec materia, in iisdem subjectis, saepe pectoris in cavo, ad pleuram, pulmones, quin ipso in pericar-

dio, sed nullibi sine manifestâ in partibus his vel illis, inflammatione, invenitur. Frankius.

§ 337.

In mortuorum disquisitione, praegressae inflammationis signa satis luculenter apparent. Omnis quippe peritonei superficies, quae phlogoseos sedes fuit, punctatam aut striatam rubedinem refert, ita ut vascula minima repleta sint sanguine. Tum etiam membrana ista a subjacentibus partibus separata et luci obversa, minus pellucida, quam in statu sano, apparet, neque raro materie aliquâ glutinosâ illita et obfuscata est.

§ 338.

Sanatur peritonitis iis remediis, quibus membranarum serosarum inflammationes impugnari constitit. Prima et praecipua medentis cura in eo versatur, ut venae sectione, hirudinibus, cucurbitis cruentis, balneo tepido, fomentatione emolliente, tum quoque remediis demulcentibus et oleosis, inflammationis vis quantocyus frangatur et minuatur. Ablato summo morbi vigore, exitus inflammationis in exsudationem, congruo et tempestivo Mercurii dulcis usu, vel praecavendus vel corrigendus est.

§ 339.

De peritonitide scriptores principes sunt Johannes Petrus Frankius et Philippus Pinellius. Legi quoque merentur Renatus Theophilus Hyacinthus Laennecus aliique scriptores recentiores, qui Bichati inventis usi sunt ad artem medicam perficiendam, in primis ad doctrinam inflammationis variae plenius et accuratius illustrandam.

J. P. Frank, De curandis hominum morbis epitome; Libr. II, Manhem. 1792, pag. 182 seqq.

P. Pinel, Nosographie philosophique etc. (1798); edit. 6tae. Paris. 1818, Tom. II pag. 423 seqq.

R. T. H. Laennec, Mémoire sur la Peritonite; dans le Journal de Médecine de M. M. Corvisart, Leroux et Boyer; Fructidor an X. (Paris 1802. 8vo.)

A. N. Gendrin, Histoire anatomique des inflammations. Paris et Montpellier 1826. 8vo. Tom. I pag. 67 seqq.

G. Andral, Clinique médicale etc. Tom. IV; 2me édit. Paris 1831, pag. 523 seqq.

De inflammatione impurâ, mixtâ et spuriâ.

§ 340.

Ab inflammatione verâ, genuinâ et simplici multum differre inflammationem mixtam, impuram, spuriam, omnis cum causarum, a quibus efficiuntur, tum symptomatum, quae ipsam comitantur, et effectuum, quos pedissequos habent, natura declarat. Neque minus in utroque affectionis genere differunt salutaria Naturae et Artis praesidia.

§ 341.

Ut causarum notetur diversitas, cum ad proëgumenas, tum ad procatarcticas, quae vocantur, attendi oportet, quibus quippe rite intellectis, longe diversa inflammationis verae et spuriae ratio facilius perspiciatur.

§ 342.

In inflammationem veram proclives sunt juvenes et viri constantis aetatis, temperamento sanguineo aut cholerico praediti, vires illaesas et magnum corporis robur cum eximiâ vitae alacritate, generis praesertim vasculosi irritabilitate, conjuncta habentes. Ab inflammatione

spuria corripiuntur, qui temperamentum habent phlegmaticum aut melancholicum; in quibus laxior est fibrarum compages; quorum sanguini acrimonia quaedam inhaeret; quibus fractae sunt corporis vires, labe haereditariâ, incongruo vitae genere, valetudinis adversae, istiusque diuturnae, aut etiam aetatis et constitutionis culpâ; qui admodum sensiles sunt et facilius moventur, sed torpentem et languidam habent agendi et alienis stimulis repugnandi potentiam.

§ 343.

Genuinam inflammationem excitant irritamenta quaecumque, quibus vita vasorum augetur; frigus hibernum; tempus vernale; incitatior corporis motus; graviora animi pathemata; alimenta ex carne, aut alia multum nutrientia, quibus plastica sanguinis vis promovetur. Occasionem praebent inflammationi impurae miasmata, contagia, venena; stimuli aliunde in genus vasculosum translati, per consensum, metastasin, metaschematismum; morbi praegressi, imperfecte sanati; spirituosorum abusus et alia irritamenta, quae vasorum orgasmum initio quidem augent, saepius vero repetita, vim vitae infringunt et sanguinis crasin pessumdant.

§ 344.

Notant inflammationem veram et simplicem signa manifesta, constantia, ordinata. Rubor, calor, tumor et dolor, tum quoque symptomata, quae inflammationem internam adesse declarant, non solum perpetui horum morborum comites sunt, et ordine aliquo statuto crescunt, mitigantur, finiuntur, sed praeterea consensu mutuo adeo conspirant, ut et sibimet invicem et febri concomitanti satis constanter respondeant.

§ 345.

Inflammationis impurae symptomata ut plurimum sunt obscura, alieno colore fucata, fallacia, inconstantia, irregularia, sibimet ipsa multum disparia. Qualia inflammationis impurae, mixtae, implicitae signa, vel in ipsa parte aegrotante, vel in comite febre, vel in praecipuis, quibus corpus fungitur, muniis cernuntur. Unde summa apparet symptomatum in hoc morbi genere, privatorum, sympathicorum, universalium, inconstantia et *ataxia* sive ordo neglectus.

§ 346.

Neque minus diversa est effectuum ratio, quos utrumque inflammationis genus, in sui vel commodum vel detrimentum, habere solet. In modo, quo terminatur inflammatio vera, naturae certantis et superantis, in vario inflammationis spuriae exitu, naturae frustra reluctantis et devictae exempla videmus.

§ 347.

Inflammatio genuina et simplex maxime proclivis est in *resolutionem* aut in *suppurationem*, quibus utrisque non solum omnem phlogosin extinguere, sed naturalem quoque partium conditionem restituere conatur natura.

§ 348.

Quae impura vocatur inflammatio saepissime terminatur in *ulcerationem* aut in *gangraenam*, nisi longior morbi duratio partes aegrotantes in *scirrhum* aut alia organica vitia degenerare faciat. Unde ratio apparet, quare has inflammationis species *phagedaenicas*, id est omnem partium compagem corrodentes et destruentes, vocaverint Medici recentiores.

§ 349.

In verâ et genuinâ inflammatione critica molimina manifesta notantur; febris, quae auctiori vasorum vitae respondet; haemorrhagia activa; perspiratio cutanea auctior; diuresis critica; alvus copiosa cum morbi levamine; abcessus in parte externâ.

§ 350.

Quae phlogosin impuram comitantur phaenomena, symptomatici aut colliquativi generis sunt, vel criseos imperfectae speciem prae se ferunt. Quo referantur haemorrhagiae passivae, sudores copiosi sed non levantes, diarrhoeae frequentes, partium extremarum oedemata, metastasis varia, febres hectici generis.

§ 351.

Victus parcus et tenuis, corporis animique quies praecipua sunt praesidia diaetetica, quae in genuinâ inflammatione conveniunt. Inter praesidia chirurgica et pharmaceutica principem locum tenet venae sectio larga, subinde aliquoties repetenda, cujus effectui salutari auxiliantur remedia diluentia, refrigerantia, antiphlogistica. Inter praesidia autem derivando proficua, praesertim conveniunt laxantia frigida.

§ 352.

Aliâ medendi ratione opus est in phlegmone impurâ. Alimentis eupeptis blande nutrientibus sustentandae sunt corporis vires. Loco sanguinis ex universo corpore detrahendi, conveniunt medicamenta discutientia, epispastica, derivantia, nisi hirudinibus aut cucurbitis cruentis utendum sit. Medicamenta *corrigentia* vel etiam *roborantia*, causae singulari, parti afflictae, virium modulo, et universae aegrotantium

constitutioni congrua, antiphlogisticorum munere funguntur. Caeteris remediis *evacuantibus* praestare solent ea, quae vel per cutim, vel per guttur superius, materiem morbosam expellunt.

§ 353.

Ex diversâ autem causarum, symptomatum, effectuum et sanationis ratione, qualis cernitur in inflammatione mixtâ atque impurâ, luculenter apparet, non omnem phlogosin ejusdem generis esse, aut saltem hominum corporisque partium, qui ab hoc morbi genere corripiuntur, naturam aliquando longe esse diversam.

§ 354.

Quod quo melius appareat, breviter indicandum est, qualis sit inflammationis *mixtae* aut *implicitae*, inflammationis *impurae* et *specificae*, inflammationis denique *latentis* et *spuriae* notio. Singulae istae voces, licet subinde pro synonymis accipiantur, suam quaeque vim habent, rite distinguendam, si morbis, quos denotant, naturae convenienter mederi cupias.

§ 355.

Inflammationis *mixtae*, *compositae* aut *implicitae* nomine ejusmodi insigniuntur phlogoses, quae, praeter febrem inflammatorii generis, secum habent symptomata alia ex ipsâ morbi naturâ non intelligenda. Aliquando tamen cum gastricâ, biliosâ aut aliâ corporis affectione nexum causalem habet inflammatio, ita ut pleraeque phlogoses sympathicae et deutero-pathicae ad hunc locum mereantur referri.

§ 356.

Inflammatio *impura* adesse dicitur, quando ea est

corporis vel aegrotantium partium conditio, ut inflammatio formâ suâ aut naturâ multum mutetur, id est, ut symptomatum et effectuum suorum ratione, a benignâ et genuinâ inflammatione longe recedat. Qualis impura inflammatorii morbi natura a duplici causarum genere, vel a potentiae excitantis malignitate, vel a corporis aegrotantis naturâ repetenda videtur.

§ 357.

Inter causas malignas, non simplicem, sed impuram inflammationem excitantes, referri merentur venena, miasmata et contagia varia; qualia occasionem praebere constat *anginae gangraenosae*, *pustulae malignae*, *necrosi ustilagineae* similibusque affectionibus aliis. Causam vero venenatam in corpore perfecte sano inducere posse mali moris inflammationem, ex iis patet, quae fieri solent, si digitus forte vulneretur cultro anatomico materie aliquâ septicâ inquinato, aut si quis homo optime valens variolarum confluentium contagionem sibi contraxerit.

§ 358.

Alium, neque minus foecundum, inflammationis impurae fontem ab ipsâ corporis aegrotantis naturâ singulari repetere oportet. Saepissime quippe peculiaris aliqua diathesis morbosa, vel manifesta vel occulta, in corpore adest, eâque fit, ut inflammatio, per causam occasionalem inducta, symptomata referat aliena et multum adulterata. Cogitemus inflammationis symptomata, quae ab amputatione aut aliâ laesione fortuitâ nascuntur in hominibus, qui dyscrasiam vel cachexiam aliquam singularem habent.

§ 359.

Inflammatio impura *specificae* nomine insignitur, si

diathesis morbosa in corpore latens, adeo magna est, ut natae inflammationi characterem aliquem singularem, experientiâ cognitum, imprimat, neque auferri possit sine remediis, singulari suae naturae congruis, id est remediis, quae dici solent specifica. Ad quam phlogosium classem referri merentur *scrofulosae*, *herpeticae*, *syphiliticae*, *cancrosae*, *scorbuticae*, aliae.

§ 360.

Aliquando inflammationis impurae et specificae semina in magis communi corporis constitutione, id est, in ipsâ organicâ, eàque variâ, partium structurâ quaerenda videntur. Cutis extrema nempe in inflammationem *erysipelatosam*, membranae mucosae in *catarrhalem*, serosae et fibrosae in *rheumaticam* praesertim proclives sunt.

§ 361.

Inflammationis *occultae* sive *latentis* notio ex iis intelligi poterit, quae Baglivius et Stollius de pleuritide latente scripserunt. Nimirum est inflammatio, quae characteribus, naturae suae propriis, maximam partem destituitur, functiones partium, quas occupat, parum laedit, et vix a febre aliquâ sociatur, ita ut aliquando in cadavere demum detegatur. Cujus rei causa repetenda est, vel a neglectâ Medici in indagando morbo sedulitate, vel a signorum, quae adfuerunt, fallaciâ et inconstantiâ, vel ab horum a morbo alieno et graviori obscuratione, vel denique ab impurâ et mixtâ ipsius inflammationis naturâ.

§ 362.

Nothae aut *spuriae* inflammationis nomine antiquiores Medici usi sunt, ut denotarent affectiones

corporis, a spasmo, a rheumatismo locali, aliisve levioribus causis inductas, a verâ phlogosi igitur non pendentes, aliquam tamen hujus speciem, si leviter rem intuearis, prae se ferentes. Unde constat, artem nomine isto incongruo posse carere.

§ 363.

Ex dictis intelligetur, qualis sit inter phlogoses *mixtas*, *impuras*, *specificas*, *latentes* et *spurias* cum analogia, tum diversitas. De plerisque, ad hunc locum pertinentibus, morbis alibi aptior erit dicendi occasio. In singula fere eorum genera ea transferri possunt, quae in § 352, de medendi ratione praecepimus. Quapropter, speciminis loco, nunc de erysipelate dixisse sufficiat.

De Erysipelate.

§ 364.

Erysipelas inflammatio cutis est, ut plurimum pruritu atque ardore magis, quam ingenti dolore molesta, cum majori tamen minorive tumore conjuncta, et non raro febrem sociam nacta. Colorem roseum habet, subflavum, splendentem, non circumscriptum, pressione evanescentem, mox autem, hac cessante, redeuntem.

§ 365.

Pro variâ temporum, quae percurrit, ratione, diversa est morbi facies. *Initio* plerumque modice rubet, exiguum occupat locum, ac levi cum tensione, pruritu et dolore conjungitur. In *augmento* manifestius increscit, latius propagatur, et majore simul

calore, tensione, doloreque discruciat. In *statu* omnia haec persistunt, et cutis exiguis tuberculis, aut bullulis, persaepe exasperatur, atque inaequalis evadit. In *decremento* demum rubor evanescit, cutis subsidit et relaxatur, sicque malum, epidermide resiccata et frustulatim secedente, resolvi consuevit. Burserius.

§ 366.

Erysipelas igitur a phlegmone differt, cum symptomatum quorumdam discrepantiâ, tum sede diversâ, tum denique causarum, eventus et sanationis ratione.

§ 367.

Ergo communia amborum sunt, tum tumor, qui praeter naturam sit, tum vero calor. Dissident primum et maxime colore. Quum enim is ruber sit, phlegmonem affectum appellant, quum pallidus flavusve, vel ut ex pallido flavoque mixtus, erysipelas. Praeterea pulsatio magnae phlegmones proprium est symptoma, quippe quae alte magis in corpus demittitur, erysipelas vero in cute potius consistit, quam alte descendat. Galenus.

§ 368.

Quod ad causas attinet, differunt potissimum praedisponentes. Erysipelati enim obnoxii esse solent homines, in quibus crasis humorum vitiata est, aut qui saltem diathesin aliquam peculiarem habent, vel a parentibus genitam, vel morbo serius acquisitam.

§ 369.

Erysipelati occasionem praebent causae vel externae, viâ rectâ in cutim agentes, vel internae, consensus lege, morbum in cute excitantes. Unde uti-

lissima petitur distinctio inter erysipelas *idiopathicum* et *sympathicum*.

§ 370.

Erysipelas idiopathicum causis debetur externis; nimio calori vel frigori, ambustioni, congelationi, contusioni, vulneribus, apum morsui, vesicatoriis aliisque acribus applicitis. Quamquam, ut recte monet Burserius, non alienum a ratione sit, in his quoque casibus aliquid plerumque subesse, quod cum causa proëgumena similitudinem habeat.

§ 371.

Erysipelas sympathicum originem habet, vel potius movetur, a causis internis varii generis, praesertim tamen a gastricis. Hanc morbi speciem plerumque comitatur febris, vel gastricae, vel biliosae, vel alius naturae. Aliquando causae, quae occasionem praebuerunt, manifestae sunt, ut v. c. coena ex ostreis, mytulis, astaco, aliove cancrorum aut etiam piscium genere parata, spirituosorum abusus, alimenta pinguia copiose assumta, similia.

§ 372.

Utrumque erysipelatis genus quascumque detinere potest corporis partes. Sympathica aut symptomatica morbi species varias potissimum formas referre potest, quales sunt erysipelas *bullosum*, *pustulosum*, a Sydenhamo descriptum et epidemio more visum, *Zona* vel *Zoster*, cujus meminerunt Severinus, Tulpius aliique, cujusque singularem formam, apud Batavos frequentem, descripsit Antonius de Haen in *Additamento primo ad Theses de febrium divisione*, erysipelas denique *vagum* vel *ambulatorium*, cujus casum memorabilem in

puero decenni observatum narravit Guilielmus Mauquestus de la Motte.

§ 373.

Erysipelas circa cutim maxime consistit, tum hanc externam, quae omnium partium commune est tegumentum, tum membranosam et tenuem, quae singulis internarum est circumdata. A quibus Galeni verbis propterea dissentiendum est, quia affectionem eandem ad cerebrum, pulmones, uterum aliasque interiores partes transtulerunt Medici antiquiores. Eo igitur sensu, quo hodie morbus accipitur, ad solam cutim, et quidem ad maxime vasculosam et papillarem corii partem externam, tum quoque ad corpus, quo haec tegitur, mucosum Malpighianum, referri meretur. Quae partes quâ ratione, cum in morbi vigore, tum post mortem, mutatae cernantur pro vario inflammationis gradu, accuratissime indicavit Doct. Gendrin.

A. N. Gendrin, Histoire anatomique des inflammations. Tom. I. pag. 414 seqq.

§ 374.

In erysipelate simplici, febris post paucos dies evanescit, et tumor paulatim subsidit, donec septimo aut nono die, omnino delitescat, epidermide furfurum aut lamellarum in modum secedente. In morbo graviori phlyctaenae parvae et rotundae, sero limpido aut subflavo repletae, aliquando efflorescunt, quae vel sponte exsiccantur, vel liquorem viscosum continentes, in crustas mutantur, post plures demum dies deciduas. Neque infrequenter fit erysipelatis in *oedemata* exitus. Tandem morbus, inflammationis instar, terminari potest in *indurationem*, *suppurationem*, *ulcerationem*, *gangraenam*.

§ 375.

Erysipelas vero foris quidem exstare utile, intro autem vergere, lethale, cujus quidem rei indicium est, cum, rubore evanescente, pectus gravatur, et aegrius spiritum trahit aeger. Coac. Praen.

Ex erysipelate putredo, aut suppuratio, malum. Hipp. Aphor.

Qui erysipelate pereunt, febre moriuntur cum dyspnoeà, delirio, sopore, intra septimum diem quidem plerumque. Hoffmannus.

§ 376.

Erysipelas aliquando saluti esse, leviorem praesertim morbi formam, quae *erythema* vocatur, docet Hippocratis aphorismus: »In angina detento, si tumor et rubor (ἐρύθημα) in pectore contingat, bonum, foras siquidem morbus vertitur." Neque aliae desunt observationes. Novit Anneus Carolus Lorry hominem grandaevum, sed alioquin sanissimum, qui diu arthritidis gravissimos dolores, per longum aetatis spatium, perpessus est. Ab iis postea liber factus, quoties ingruit, arthritidem olim invehens, causa, sive intempestiva venus, seu spreta sobrietas, seu demum diuturnior, in hominem militarem agens, aëris inclementia, erysipelate in hàc, vel illà parte corripitur, parum durabili, sed veteres arthritidis paroxysmos exhibente; quo erysipelate arthritidem videtur redemisse. Id etiam contigit viro, vehementissimis dudum colicis doloribus cruciato, quorum loco erysipelas affulsit.

§ 377.

Critica, quae in morbo apparent, naturae molimina varii generis sunt. Saepissime fiunt per emesin, su-

dorem, urinam. Aliquando etiam alvo leniter fluente, intra paucissimos dies, integre morbum solvi, in epidemià Taurinensi vidit Carolus Richa. Denique haemorrhagia narium, morbi initio facta, non paucis salutem attulit.

§ 378.

Ad sanandum erysipelas idiopathicum, remedia diluentia, temperantia, diaphoresin leniter promoventia, pro usu interno sufficiunt. Si major adsit febris vehementia, corpus plethoricum, sanguinis ad organa nobiliora congestio, utendum est methodo antiphlogisticà, de quà legatur Burserius. Cura localis ad inflammationis gradum componenda est: sicca et modice calida plerumque maxime salutaria sunt.

§ 379.

Erysipelatis symptomatici curam indicant causarum indoles, natura febris, vehementia morbi. Licet opus esse possit emetico, ab antimonialibus tamen abstinendum videtur. Non adeo metuendam esse alvi ductionem per laxantia frigida, Tissoti et Meadii docent praecepta. In curâ locali autem, summâ prudentiâ opus est, quoniam in metastasin proclivis est morbus.

§ 380.

Futuram suppurationem aut gangraenam aliquando praevertere possunt partis aegrotantis scarificationes satis profundae, laudatae a Freindio aliisque.

§ 381.

In erysipelate retrogresso ea adhibenda sunt praesidia, quibus morbus revocari possit in locum pristinum, frictiones, sinapismi, vesicatoria, remedia diaphoretica efficaciora.

§ 382.

Antiquiorum Medicorum theoremata atque praecepta optime cognosci poterunt ex Hoffmanni et Swietenii scriptis: magnam quoque opem praestabunt doctae Georgii Gottlob Richteri et Philippi Georgii Schroederi Dissertationes.

F. Hoffmann, Medicin. rational. systemat. Tom. II Sect. I Cap. XIII pag. 98 seqq. *De febre erysipelaceâ.*

G. van Swieten ad Boerhavii. § 380; Comment. Tom. I pag. 643 seqq.

G. G. Richter, Diss. de Erysipelate; in Viri Cl. Opusculis Medicis, collectis studio J. C. G. Ackermanni etc. Vol. I. Francf. et Lips. 1780. 4to. pag. 189 seqq.

P. G. Schroeder, De febribus erysipelatosis; in Opusc. Medic. etc. Vol. I. Norimbergae 1778. 8vo. pag. 175 seqq.

§ 383.

Praeclara morbi sanandi praecepta dedit Johannes Baptista Burserius. Inter recentiones Johannes Nepomucenus Rustius aliique de hoc morbi genere meruerunt.

J. B. Burserii Institut., edit. Lips. 1798. Vol. II pag. 13 seqq.

J. N. Rust, Das pseudo-Erysipelas, eine noch nicht hinreichend erkannte Krankheitsform; im Magazin etc. Bd. VIII. 3 Hft. pag. 498 seqq.

De Pyretologiâ, seu doctrinâ febrium.

§ 384.

Febris frequentissimus morbus, plerorumque morborum aut initium, aut comes, aut finis est; eorum quoque, uti et mortis et sanationis optima causa; hinc accuratius explicanda. Stoll.

§ 385.

Cujus quia abdita habetur natura, summa ope cavendum ab omni errore in illâ indagandâ. Boerhavius.

§ 386.

Errori tamen facilem hic occasionem praebet ingens numerus symptomatum, quo plerumque stipatur, et sinc quibus tamen febris esse potest. Boerh.

§ 387.

Ut ille vitetur, cum pictorum in imagine diligentiam imitari oportet, tum Botanicorum sequi exemplum, qui inter plantae criteria, nec luxuriantes flores, quos Caldarium peperit, nec erucarum morsus recensent.

§ 388.

Praeterea attendendum est ad naturae simplicitatem atque constantiam, quibus fit, ut plurima febrium phaenomena arctissime juncta sint, ut ex communi causa repeti possint, et ut rarissime desiderentur.

§ 389.

Febris omnis calorem praeternaturalem, pulsuum a naturali conditione declinationem, atque aliam quamcumque functionem, vel etiam plures, laesas habet; vario id tamen tempore, gradu, successione. Stoll.

§ 390.

Pauca ista symptomata, quae sola constantiores sunt febrium notae, magis quidem externam faciem, quam naturam morbi declarant, accuratius tamen explicari merentur, ut ab effectibus ad causae notitiam perveniamus.

§ 391.

Quum corporis calor, in valetudine tum secundâ tum adversâ, a sanguinis circuitu et a respiratione potissimum pendeat, apparet, praecipua febris symptomata ex auctâ cordis et arteriarum vi irritabili explicanda esse.

§ 392.

Neque tamen generis vasculosi irritatio, quique ab ea pendet, celerior sanguinis cursus, licet essentialia sint febris symptomata, sufficiunt ad illius indolem explicandam. Plurimae enim externae et internae causae sunt, quibus calor corporis augeatur, actio vasorum incitetur, absente tamen motu febrili.

§ 393.

Praeter auctam igitur cordis et arteriarum energeiam vitalem, alia esse videntur, quae suam conferant symbolam, ut febris oriatur. Quare Boerhavius dixit, febris causam proximam infinitas causas pro suis proximis agnoscere.

§ 394.

Inter haec febrium elementa praecipuum aliquem locum tenet mutata nervorum vita, eorum praesertim, qui vitae organicae praesunt. Probant hanc singularem nervorum affectionem, sensus aegritudinis, lassitudo, animi dejectio, et alia, quae in febribus notantur, symptomata: deinde illae praesertim causae, quae irritant aut debilitant nervos, febrem frequentissime excitant; exemplo sint vulnera, animi pathemata, remedia purgantia validiora.

§ 395.

Nec negligenda est organorum secernentium con-

ditio, si febrium genealogiam interpretari cupias. Mutatam eorum vitam mutata docet secretionum conditio: ita ut has vel praeter modum auctas, vel imminutas, vel naturâ multum mutatas videamus.

§ 396.

In febre quâcumque igitur, cum vasorum, tum nervorum, tum denique organorum, quae ex utrisque composita sunt, secretioni aliisque muneribus servientium, vitam mutatam cernimus.

§ 397.

Mutatae autem *sensilitatis*, auctae *irritabilitatis*, torpentis aut alio quocumque modo peccantis vitae *plasticae* vel *vegetativae* symptomata, qualia in febre notantur, ex interno organismi principio illiusque perpetuo cum naturâ externâ commercio explicanda esse, omnis Physiologiae et Biologiae ratio declarat.

§ 398.

Duplex quippe oeconomiae humanae seu organismi, ad naturam externam relatio est. Sunt res externae, quae amicam aliquam cum naturâ humanâ affinitatem produnt: sunt aliae, quae vi naturae sibi innatae, aut etiam copiâ suâ, humano corpori adeo repugnant, ut eidem magis minusve obsint. Illae *stimuli naturales*, hae *stimuli* aut *irritamenta praeter naturam* vocantur.

§ 399.

Virium vitalium vero, quae corpori insitae sunt ejusque integritatem tuentur, lex est perpetua, ut in omnes stimulos vitam irritantes, sive externi sive interni sint, insurgant, iisdem obluctentur et adversentur, donec vel superantes vincant, vel superatae succumbant. Cujus certaminis aut luctae, ut in morbo

fere quocumque, in febre praesertim manifestissima symptomata adsunt.

§ 400.

Febris natura igitur ponenda videtur in corporis universi, a quocumque demum stimulo irritati, conatu adversus ea, quae vitae et sanitati sunt inimica. Repugnantis autem naturae hoc proprium esse videtur in febre, ut praesertim per auctam vasorum et secernentium organorum actionem, finem suum assequatur, id est, alienas res cum subigat, tum emoliatur.

§ 401.

Per motus febriles autem ea, quae a naturâ nostrâ aliena sunt, optime subigi, quae gravius laedunt, foras expelli, turbatum inter partes earumque functiones aequilibrium naturae convenienter restitui, cum aliorum experientia, tum diligens aegrotantium hominum observatio docet.

§ 402.

Ex hâc febrium theoriâ pleraque symptomata, huic morborum generi propria, secundum rationem explicari posse videntur, praesertim quidem ea, quae necessaria et essentialia dicuntur, tum vero etiam, quae minus constantia aut accidentalia sunt.

§ 403.

E modo nimirum, quo irritatio et stimulorum perceptio locum habet, tum etiam, quo stimuli ab alterâ parte in alteram, aut, consensus lege, in dissitas partes et in universum organismum, propagantur et transferuntur, tum denique e peculiari, quae tunc adest, sentientium partium, id est generis nervosi, affectione, plurima utique symptomata optime intelligi possunt,

frigus v. c., tremores, horripilatio, pandiculatio, lassitudo, nausea, vomitus, secretiones suppressae, aliaque symptomata, quae in febrium continuarum initio et in primo febrium intermittentium stadio notari solent.

§ 404.

Ex vi et potentiâ autem, quâ pleraeque corporis partes, illae praesertim, quae irritabilitate excellunt, stimulis admissis repugnant, alia et pleraque quidem morborum febrilium symptomata explicanda sunt, auctus calor, respiratio brevis et celeris, incitatior sanguinis motus, sitis summa, anxietas, delirium, jactatio, caetera.

§ 405.

Quando denique, post longam universi organismi intentionem, vis stimulorum, quibus corpus incitabatur, vel penitus sublata est, vel maximam partem, aut pro tempore aliquo, quiescit, turbatae et repugnantis vitae symptomata sensim desinunt, redeunte naturali et aequabili partium conditione. Ex quâ irritationis et repugnantium virium absentiâ ea intelliguntur symptomata, quae in febrium continuarum remissione aut fine, et in ultimo febrium intermittentium stadio adsunt, secretiones rite valentes nec amplius suppressae, respiratio libera, turbae sanguinis compositae, euphoriae sensus, caetera.

§ 406.

Febrium naturam in universum hac ratione interpretandam esse, simplicissimae docent hujus morbi formae, quales sunt *ephemera* et *intermittens tertiana vernalis*. In his nempe et morbi decursus, et frequentissimae causae, et ipsa medendi ratio propositam febris theoriam comprobare videntur.

§ 407.

Neque tamen haec eo facere debent, ut credamus, febrem quamcumque pro salutari naturae molimine habendam esse. Experientia enim probat, naturam quoque suos habere a recto tramite recessus atque errores, neque raro artis esse, naturam regere, juvare aut cohibere.

§ 408.

Ad pauca vero, quae de febrium pathogeniâ dicta sunt, accedat brevis aliqua aetiologiae, prognoseos et therapeutices, quales in hoc morbi genere notantur aut conveniunt, notitia, ut paulo pleniorem habeamus Pyretologiam universalem.

§ 409.

Causae febrium *proëgumenae* saepe obscurae sunt. Praesertim accusandae videntur, magna hominum sensilitas et irritabilitas, tum quoque universi corporis teneritudo, laxior compages atque debilitas. Aetas infantilis, sexus sequior, temperamentum sanguineum, periodi, quae dicuntur, evolutionis ad morbos febriles disponunt. Neque tamen a febre immunes sunt senes, viri robusti, aut illi, qui temperamentum phlegmaticum habent.

§ 410.

Causae *excitantes*, quae tantam interdum vim habent, ut, quae Burserii verba sunt, quamlibet optimam valetudinem firmamque corporis constitutionem ilico evertere, et febrem ciere possint, in universum duplicis generis sunt, vel *singulares*, vel *universales*.

§ 411.

Inter causas excitantes *singulares*, singulis hominibus proprias, neque pluribus eodem tempore com-

munes, aliae ab *animo*, aliae a *corpore* proficiscuntur; aliae *extrinsecus*, aliae *intrinsecus* adveniunt febremque movere possunt.

§ 412.

Quae ab animo procedunt, sunt graviora animi pathemata, ira, moeror, tristitia, studia immoderata, metus, amor, qui ad febres praesertim lentas ciendas solet esse paratissimus, si eum moeror ex negatâ rei amatae potestate subsequatur. Burserius.

§ 413.

Quae a corpore ipso aut a naturâ externâ proficiscuntur, causae sunt: 1) ingesta acria, aut eâ copiâ assumta, ut irritent, vel ut digeri et excerni nequeant; 2) retenta intra corpus, quae excerni solebant; 3) gesta, ut violentior corporis exercitatio, Venus immoderata, calor, aestus, nimium frigus; 4) applicata externa, spina v. c. (ut exemplum a Burserio petamus) digito pedis infixa, tantum excitare potest doloris, ut febris oriatur, totum corpus rigescat, et, spasmo inducto, aut gangraena succedente, ad interitum perducatur aegrotans; 5) quae humores horumque motus valde immutant, ut multa externa vel interna, fames, inanitio, vigiliae, inflammatio, suppuratio etc. Stoll.

§ 414.

Causae *universales* vel *populares*, quae pluribus communes sunt, aut certae annorum constitutioni, periodice recurrenti, debentur, aut annuae mutationi, aut intercurrenti cuidam universali miasmati, vel vegetabilis vel animalis naturae. Stoll.

§ 415.

Hinc febrium momentosa divisio nascitur, quum

causae singulares dent febres *sporadicas*; universales vero *stationarias*, *annuas*, *endemias*, *epidemias*. Stoll. — Quae tamen notae, recte monente Burserio, non genus quoddam morbi peculiare, sed generis ipsius modum, affectionem, et specialem veluti differentiam designant.

§ 416.

Sporadica febris est a vitio quodam domestico et singulari, tempus anni aut constitutionem epidemiam non respiciente, quamvis in epidemium morbum verti, aut cum eo jungi possit, exemplo variolarum. Stoll.

§ 417.

Stationaria certo annorum curriculo continetur, sensim increscit, viget, atque iterum decrescit: alteri alterius indolis subnascenti locum concedens. Stoll. — Cujus Hippocraticae et Sydenhamianae doctrinae ne frequens fiat abusus in condendâ aut laudandâ generali quâdam ratione medendi, memores nos esse oportet ejusdem Sydenhami verborum »quâ methodo, currente anno, aegrotos liberaveris, eâdem ipsâ forsan, anno jam vertente, e medio tolles.”

§ 418.

Annuae febres dicuntur, quae singulis annis constanti quâdam lege recurrunt, seseque excipiunt, nisi quaedam temporum anomalia coelique mutationes abnormes intercurrant, et hanc annuarum successionem turbent. Ita ut *inflammatoria* adultae hyemi et veri primo; *biliosa* aestati vigenti atque inchoanti autumno; *pituitosa* vero istius fini et initio hyemis, item veri in aestatem vergenti respondeat; *intermittens* vero in ver atque autumnum cadat. Stoll.

§ 419.

Endemiae febres regioni cuidam familiares sunt, indigenae sive vernaculae, ex aëre, aquis et locis oriundae: exemplo sint febris Zelandica, febris flava Americana, et quae sunt id genus aliae.

§ 420.

Epidemia febris dicitur, quae late inter populum grassatur, a causâ aliquâ communi, vel manifestâ, vel occultâ, neque semper agente, plerumque tamen a miasmate.

§ 421.

A qua distinguitur *contagiosa*, id est, febris causam nacta virus aliquod in corpore organico generatum, seminis instar, magnâ procreandi vi praeditum, si viâ quâcumque, in hominum aliorum, qui ad suscipienda et evolvenda germina apti sunt, succum et sanguinem fuerit translatum.

§ 422.

In prognosi febrium attendas ad morbi indolem, cursum et vehementiam, ad peculiarem hominis aegrotantis constitutionem, ad causarum, quae occasionem praebuerunt, naturam, et ad molimina critici generis, qualia natura instituit.

§ 423.

Universa Hippocratis, vatum medicorum principis, doctrina oraculis abundat, quorum ductu et praesidio, hominum, febribus afflictorum, salutem aut perniciem augurari et praenoscere valeamus.

Loca praecipua in scriptis genuinis reperiunda, indicabit Burserius in annotatione ad § XLI.

§ 424.

Medendi consilia triplicis generis sunt: 1) causas, quae occasionem dederunt, auferre vel moderare, emendare praedisponentes; 2) vires vitales, vasorum potissimum irritationem, ita regere, ut corpori et morbo conveniant; 3) symptomatum graviorum, et moliminum Naturae, quae critica vocantur, aptam habere curam.

§ 425.

Ante omnia igitur ad causas manifestas et procatarcticas respicere oportet. Pro harum enim varietate, vel vomitus prolici, vel alvus duci, vel sudor promoveri, vel sanguis mitti, vel aliqua alia evacuatio, ubi natura desit, tentari debet. Sed haec ita Medicus moliatur et praestet, ut virium aegri, temporis, morbi denique ipsius debita ratio habeatur. Burserius.

§ 426.

Ut praedisponentes febrium causae corrigantur vel auferantur, ad universum aegrotantium habitum et ad singulas corporis functiones sollicite attendendum est: obstructiones reserentur, solidorum laxitas corrigatur, sensilitas nimia obtundatur, naturalis humorum crasis restituatur.

§ 427.

Sin vitae vires deficiant aut langueant, neque satis valide sanguis per vasa projiciatur ad subigendum et excernendum, quidquid impuri noxiique corpori inest, tunc medentis opera in eo versatur, ut Artis praesidia opem ferant naturae, et erigant languentes corporis vires.

§ 428.

Sed cave, ne *oppressas* modo, non *suppressas*

naturae vites incitamentis egere credas, quas sola opprimentis causae correctio impune excitat. Frankius.

§ 429.

Interdum vero vires vitae non modo non deficiunt, sed justo majores evadunt vehementiusque concitantur. Tunc symptomata, in conspectum prodeuntia, timorem incutiunt, ne universum corpus inflammatione aut inflammatoriâ diathesi occupetur. Quare refraenare naturam et vires reprimere oportet. Burserius.

§ 430.

Curandum igitur est, ut motus febrilis nec nimis excedat, nec justo citius languescat aut deficiat. Si moderatus fuerit, sinendus; si immoderatus, compescendus; si torpeat, aut intempestive defervescat, incitandus est, prout vitae viribus, et morbi statui expedire magis videbitur. Burserius.

§ 431.

In hoc febris moderamine totus fere clinicorum nervus consistit, quem nemo satis noverit, nisi qui attente et pluries naturae motus salubres ac insalubres observarit: illis enim natura saepe utitur, ut a pluribus se morbis liberet. Hanc ergo Medicus imitari debet, vel quiescendo, ubi ipsa per se sufficit, vel febrim leniter excitando, ubi motus languent proritandique sunt. Burserius.

§ 432.

Symptomata orta ex febre, ut suâ causâ, hâc ablatâ cessabunt; adeoque si ferri queunt sine periculo vitae, singularem curationem vix requirunt. Quin saepe oriuntur ex conatu vitae se disponentis ad crisin, vel ad materiae criticae excretionem; tum hanc praecedunt,

comitantur, sequuntur, nec turbari debent. Si vero intempestiva, nimis saeva, quam ut ferri a vitâ aut aegrotante possint, vel aliud gravius malum productura sunt; tum singula sunt lenienda suis remediis propriis, habitâ semper ratione causae, et status morbi ipsius. Stollius.

§ 433.

In febre quacumque ad critica Naturae molimina sedulo attendere Medicum decet, cum ut ea, quae speranda, aut metuenda sunt, mature cognoscat, tum ut sciat, quorsum Natura maxime vergat.

§ 434.

Reconvalescentiae denique non minor, quam superatae febris habenda est ratio. Hoc vero in opere dirigendo, secundum naturam, causas, morbique exantlati finem, procedendum est; nec *reconvalescens* omnis adeo sollicite, aut adeo parce nutriendus, aut alvo purgandus, aut demum roborandus, sed sua cuivis febri, subjecto, aetati reconvalescentia est, quae diaetam sibi propriam, et medicamenta interna, externa, aut varia, aut nulla sibi exposcit. Omnibus vero aër rusticanus, amica consortia, et moderata refecti tandem corporis exercitia conducunt. Frankius.

De diaetetico febrium regimine librum scripsit adeo praeclarum Jodocus Lommius, ut optimus haberi possit interpres in Hippocratis de victu acutorum Librum.

Jodoci Lommii Burani de curandis febribus continuis Liber etc.; edit. 2da. Rotterodam. 1733. 8vo.

§ 435.

De universâ febrium doctrinâ legantur Thomas Sydenhamus, Richardus Mortonus, Joannes Huxhamus, Guilielmus Grantius, Paulus Gottlieb Werlhovius, Jo-

sephus Quarinus, Maximilianus Stollius, Johannes Baptista Burserius, Johannes Petrus Frankius, Fridericus Guilielmus Hovenius.

T. Sydenham, Observationes medicae circa morborum acutorum historiam et curationem; in Operr. universis. L. B. 1726. 8vo.; Genevae 1736, II voll. 4to.; Lips. 1827. 8vo. (curâ C. G. Kühn).

R. Morton, Pyretologia, sive tractatus de morbis acutis universalibus etc.; in Operr. Medicis. Venetiis 1733. 4to.

J. Huxham, Liber de Febribus earumque variis generibus (anglice 1750); in Operr. Physico-medicis, cur. C. G. Reichel, Tom. IIdo. Lips. 1784. 8vo. pag. 15 seqq.; in Operr., curante A. F. Haenel. Lips. 1829. 8vo. pag. 361 seqq.

W. Grant, An enquiry into the nature, rise, and progress of the fevers most common in London etc., with some observations on the best method of treating them. Lond. 1771. 8vo.

P. G. Werlhof, Opera Medica; collegit et auxit J. E. Wichmann. Hannoverae 1775 et 76. III vol. 4to.

J. de Quarin, Animadversiones practicae in diversos morbos; ed. J. L. Kesteloot. Gandavi 1820. II voll. 8vo.

M. Stoll, Aphorismi de cognoscendis et curandis febribus. Vindobon. 1786. 8vo.

J. B. Burserius, Institution. Medicinae practicae, vol I. Lips. 1798. 8vo.

J. P. Frank, De curandis hominum morbis epitome, Libr. I. Mannhemii 1792. 8vo.

F. W. von Hoven, Versuch einer praktischen Fieberlehre. Nürnberg 1810. 8vo.

§ 436.

Neque tamen propter celeberrimorum, qui inde a seculo decimo septimo de Pyretologiâ scripserunt, Medicorum studium, ipsorum veterum scripta negligenda sunt. Si enim limpidissimos doctrinae et artis medicae fontes adire cupias, Hippocratis praesertim scripta diligenter legi oportet. Quo ordine legenda sint, docuit Clar. van der Hoeven in Praefatione ad Chrestomathiam. Praeter optimos interpretes, magnam opem praestabunt

Gerardus Swietenius et Johannes Gorterus, scholae Boerhavianae alumni; Johannes Freindius, Henricus Copius, Thomas Glassius et celeberrimus Coraius.

J. Freind, Commentarii novem de febribus, ad Hippocratis de morbis popularibus Libros primum et tertium accommodati; in Operr. Omn., edit. L. B. 1750. 8vo. Tom. II pag. 1 seqq.

H. Cope, Demonstratio medico-practica Prognosticorum Hippocratis, ea conferendo cum aegrotorum historiis in Libro primo et tertio Epidemiorum descriptis. Dublin. 1736. 8vo.

T. Glass, Commentarii duodecim de febribus, ad Hippocratis disciplinam accommodati. Lausannae 1788. 8vo.

A. Coray, Traité d'Hippocrate des airs, des eaux et des lieux; Traduction nouvelle, avec le texte grec collationné sur deux manuscrits, des notes critiques, historiques et médicales etc. Paris an. IX (1800) II vol. 8vo.

§ 437.

Si tandem quaeratur, utrum commendanda sint Johannis Christiani Reilii, Augusti Gottlieb Richteri, aliorumque, qui de febribus praeceperunt, Medicorum recentiorum scripta, respondendum est, hos quoque doctrinae fontes utique provectioribus posse prodesse, si ab aquâ purâ et limpidà turbidam, siti restinguendae ineptam, a doctrinâ verâ doctrinam fucatam, ab experientiae fructibus conjecturas et inanes hypotheses distinguere valeant.

De Febrium divisione.

§ 438.

Communior generaliorque febrium divisio, vel a periculo et celeritate, vel ab origine, vel a numero eorum, qui eodem in loco, eodemque tempore laborant, vel a pravo ingenio maloque more, vel a prae-

cipuis symptomatibus ducta, nequaquam ad eas sive discernendas, sive ordinandas videtur accommodata. Burserius.

§ 439.

Probantur autem divisiones, quae e naturae ipsius quasi sinu promuntur, et certis quibusdam notis, quae primo statim aspectu observanti se offerunt, sensibusque nostris subjectae sunt, adhaerent. Burser.

§ 440.

Ac primum quidem compertum est, omnes, quotquot existunt, febres vel toto sui cursus tempore continenter durare, vel aliquod subinde spatium relinquere a febre vacuum. Priores a Celso *assiduae*, a nostris *continuae*; posteriores *intermittentes* appellantur. Prima ergo et generalissima omnium febrium partitio erit in *continuas* atque *intermittentes*. Burser.

§ 441.

Continuae febres dicuntur, quae sine aliquâ intermissione locum habent, ita ut in toto cursus tempore nulla notetur apyrexia, vel tempus a febre vacuum.

§ 442.

Quum vero continuarum motus in quibusdam aequabilis sit et pene uniformis, in aliis dispar, et modo ingravescens; modo certis intervallis subsidens, inter continuas *continentes* et *remittentes* distinxerunt medici antiquiores. Priores *πυρετοὶ συνέχοντες* vel *σύνοχοι*, posteriores *συνεχεῖς* dicebantur.

§ 443.

Quodsi autem per *continentes* febres eas intelligas, quae a principio usque ad finem nullà vicissitudine

notatae sint, sed eundem semper vigorem, eandem vehementiam habeant, Cullenio, Brendelio, Frankio aliisque monentibus, nullum fere febrium genus ad easdem referri poterit, quum plerisque vel omnibus aliqua saltem propria sit symptomatum remissio.

§ 444.

Simplex igitur distinctio inter febres *continuas*, remissione majori vel minori notatas, et *intermittentes*, spatia habentes a febre vacua, naturae convenientior et usui practico satis accommodata videtur.

§ 445.

Neque tamen febrium singularum, ad utrumque genus pertinentium, eadem est natura et ratio. Quapropter universa febrium Classis diducta fuit in summa aliqua genera, petita, vel *a diversâ humorum*, febres excitantium, *naturâ*; vel *a partium solidarum*, in quibus morbi sedes quaerebatur, *structurâ organicâ*; vel *a ratione variâ, quâ vita organismi humani declaratur*; vel *a diversâ virium vitalium*, quae dicuntur, *conditione*; vel denique *ab universâ febrium naturâ, aut simpliciori, aut magis compositâ.*

§ 446.

Antiquiores Medici depravatam sanguinis reliquorumque humorum naturam, inter causas morborum, summo loco ponentes, duo praesertim in febribus continuis distinxerunt genera summa, quorum alterum *synochum imputrem* vel *synocham*, alterum *synochum* vel *putridam febrem* dixerunt. Cujus Galenicae distinctionis ut sanam aliquam, neque penitus ab omni Biologiae lege abhorrentem, notionem habeamus, cum Boerhavio dicendum videtur, in priori genere *vix ullam esse*

materiam, sed *causam esse solum motum vehementiorem*, genus vero posterius *causis deberi inflammatione simplici majoribus*.

§ 447.

Inter Medicos recentiores multi in partes abierunt contrarias, et a partium solidarum praesertim structurâ organicâ ac dote vitali variâ, elementa cum caeterorum morborum, tum febrium quoque repetierunt. Quo fundamento nixi, ad *arterias* et ad *vasa capillaria* retulerunt febres *arteriosas* aut *inflammatorias*, tum quoque febres *exanthematicas*; ad *venas* autem et *vasa lymphatica* febres *venosas*, *mesentericas*, *gastricas*, *biliosas* et *pituitosas*.

§ 448.

Si ad variam attendas vitae formam, quae in organismo animadvertitur, vel inter duplex febrium genus distingui poterit, quorum alterum respondeat vitae *organicae*, *animali* vitae alterum, vel inter tria distinguendum erit febrium genera, quae respondeant partibus, aut *sensui*, aut *motui*, aut *nutritioni* dicatis. Qui posteriorem divisionem secuti sunt, ad partes *irritabiles* retulerunt febres inflammatorias, ad *sensiles* febres nervosas, ad *vegetativas* aut *plasticae vitae dicatas*, febres gastricas et intermittentes.

§ 449.

Clarissimus Reilius, omnem febrium differentiam essentialem a solà virium vitalium conditione repetendam esse opinatus, tria statuit horum morborum genera summa, *Synocham*, *Typhum*, *Paralysin*. In synochâ, aegrotantium organorum cum irritabilitas tum agendi potentia aucta est; in typho agendi vis

torpet, praeter modum auctâ vi irritabili; in paralysi denique omnia vitae phaenomena, cum sentiendi, tum agendi facultas, tum denique vis vegetativa, quâ nutritio regitur, vel languidae vel suppressae sunt.

§ 450.

Tandem Clarissimus Johannes Guilielmus Henricus Conradius aliique scriptores recentiores, insignem febrium continuarum catalogum ad duas commode classes referri posse putarunt, ad continuas quippe *simplices* atque *compositas* sive *implicitas*. Priores ad aegrotantem unum organorum apparatum referuntur, posteriores ad genus organorum dispar, vel eodem tempore, vel loco secundo, afflictum.

§ 451.

Quum igitur in systematicâ febrium dispositione, ordinem longe diversum secuti sint scriptores varii, neque facile dici possit, qualis praesertim methodus naturae sit convenientissima, in explicandis singulis febrium generibus ita versabimur, ut eas, quae dicuntur *continuae*, praemittamus *intermittentibus*, quin et in utrisque ordiamur ab iis, quae simplicissimae et frequentissimae sunt.

§ 452.

Caeterum de febrium nosologiâ conferri poterunt Antonius de Haen, Guilielmus Cullenius, et Christianus Theophilus Sellius.

A. de Haen, Theses sistentes febrium divisiones etc.; edit. 2da. Vindobonae 1760. 8vo.

G. Cullen, Synopsis Nosologiae methodicae etc.; edit. 2da. L. B. 1772. 8vo.

C. G. Selle, Rudimenta Pyretologiae methodicae; edit 3tia. Berolin. 1789. 8vo.

De febre ephemerâ.

§ 453.

Continuarum febrium simplicissima est ephemera, seu diaria, spatio viginti quatuor horarum, initia, incrementa, statum, declinationem absolvens. Boerhavius.

§ 454.

Ea autem his sese notis profert. Mitis toto in corpore calor est. Pulsus arteriarum (quod profecto huic febri proprium est) protinus a magnitudine incipit, idemque ut modice celer et frequens, ita aequalis et mollis, et justi ordinis pro modo naturae est. Nihil etiam aut certe parum urina mutatur. Ipsum vero morbum non cibi antecedit fastidium, non spontanea corporis lassitudo, sed neque gravior somnus multave oscitatio, neque horror: verum repente totus semel is accedit, nulloque graviore incommodo, ubi jam esse coepit, molestus est, dolorem intelligo capitis atque ventriculi, itemque nauseam, aestum, corporis inquietudinem, et hujusmodi. Solvitur malum interdum latenter sine sensu manifestae inanitionis, saepius per aquosos tum halitus tum madores, aut certe per sudores, ut suaves, sic minime multos. Jodocus Lommius.

§ 455.

Scire etiam licet, diariam febrem semper fere a causis moveri evidentibus, vigilia, sollicitudine, moerore, ira, aestu solis, lassitudine, temulentia, inedia et similibus. Lommius.

§ 456.

Pro quarum causarum, morbum excitantium, diver-

sitate, plures febris ephemerae species distinxerunt Alexander Trallianus et Avicenna, inter recentiores Forestus et Sauvagesius: quibus tamen refragatur febris diariae genuinae simplicitas et salutaris natura. Minus etiam Johannes Cajus in eo laudandus est, quod febrem *sudatoriam*, quae seculo decimo quinto et sexto in Angliâ saeviit, ephemeram Britannicam nominaverit.

§ 457.

Ephemera igitur speciem simplicissimam febrium continuarum continentium refert, plethoricis praesertim, et juvenili aut mediâ aetate constitutis familiaris est, a simplici causarum genere excitatur, et non nisi diem noctemque, quae Celsi verba sunt, accessione et decessione implet. Quo temporis spatio si morbus non finiatur, tertiumque superet diem, ephemerae protractae vel febris inflammatoriae nomine insigniri meretur.

§ 458.

Ubi simplex est, levique ex causâ oritur, curatio fere absolvitur solâ abstinentiâ, aut tenuissimo victu, copioso potu, tepido, temperante, blandissime aperiente et diapnoïco, interdum injecto clysmate, quo alvus eluatur. Burserius.

§ 459.

Si aeger sanguine abundet, aut febris ex plethorâ orta sit, quam citissime sanguinis copiam minuere oportet venae sectione, tuncque praesertim, cum doleat caput, aut timeri possit, ne febris ultra producatur; quod maxime usui venit, quando secundâ jam die nullus sudor prorumpit, nec febris mitescit. Quo in casu etiam iterari sanguinis missio debet. Burserius.

§ 460.

Nec praetermitti possunt ea, quae saburram de ventriculo aut intestinis excutiunt, si febris a crapula, a vino, a repletione, a faecibus retentis ortum duxerit, quemadmodum id ex anamnesi signisque conjunctis facile innotescit. Burserius.

§ 461.

Post Galenum et Alexandrum Trallianum, de febre ephemerâ optime scripserunt Jodocus Lommius, Petrus Forestus, Johannes Baptista Burserius.

J. Lommii. Observationum medicinalium Libri tres; edit. 3tia. Amst. 1726. 8vo. Libr. I. pag. 1 seqq.

P. Forestus, Observationum et curationum medicinalium Libr. primo; in Operr. omn., Francofurt. 1660. fol. pag. 1 seqq.

J. B. Burserius, l. l. vol. I. Part. 2dâ.; edit. Lips. 2dae. pag. 272 seqq.

De febre inflammatoria.

§ 462.

Febris inflammatoria dicitur, quae manifestissime auctam habet generis vasculosi, arteriarum praesertim, energeiam vitalem, sanguine ipso cum calorem et turgorem, tum motum incitatiorem habente, tum denique majorem cruoris et fibrinae copiam continente.

§ 463.

Symptomata, Sauvagesio monente, eadem sunt, quae in ephemerâ, eo discrimine, quod febris non ilico tota accedat, sed in dies major evadat, usque ad tertium, quartum, vel quintum diem, tuncque in eodem vigore perseveret usque ad declinationem. Sanissimos quippe persaepe corripit, sine prodromis, aut iis paucis

et pauco tempore. A valido frigore orditur. Sequitur calor assiduus, attactu non auctus, quin potius mitior: pulsus pleni, fortes, duri, accelerati, subinde vero suppressi et fictitie molles, praecipue, si alicubi gravis dolor saeviat. Respiratio frequens et valida: facies rubra, vultuosa; oculorum splendor, et dolor palpebrarum ac tensio: olfactus deperditus; lingua albida, aut praerubra, humectata tamen, nisi in gravissimo malo et diu durante: oris et labiorum siccitas; sitis, cephalalgia, carotidum pulsatio, aurium tinnitus; somni breves et cum insomniis, delirium subinde atque ferocia. Alvus nulla, aut rara et resiccata; urinae parcae, flammeae. Febris uno tenore pergit, vesperi noctuque parumper aucta, sine frigore tamen, donec circa auroram modice mitescat. Stollius.

§ 464.

Ad morbum disponunt aetas juvenilis, virilis; temperamentum sanguineum; irritabile corporis robur; graviditas; fibra exercitata. Occasionem praebent tempora frigida, sicca, hyems adulta, ver primum, diaeta lauta, spirituosa, carnea. Quibus addas suppressas sanguinis evacuationes, animi pathemata excitantia, calefacti corporis refrigerium, intensum corporis animique laborem, et quae alia irritant cor et systema vasorum.

§ 465.

Decurrit non interrupta, et absque periodo, intra quatuordecim dies plerumque; subinde citius, septem dierum tempore. Si posterius fiat, symptomata ad quartum vel quintum usque diem augeri solent, si prius, ad nonum usque vel undecimum.

§ 466.

Praeter febrem inflammatoriam simplicem alia est, quae *symptomatica* dici possit. Haec comes perpetua est cujuscumque inflammationis gravioris et multorum aliorum, qui acuti dicuntur, morborum, in primo saltem eorum stadio, ut v. c. exanthematum, catarrhi, rheumatismi etc. Ad hunc etiam locum refertur febris traumatica, quae excitatur a vulnere quocumque graviori.

§ 467.

In genuinâ febre inflammatoriâ prognosis bona est, cum quia vis vitae viget corporisque saluti prospicere potest, tum quia symptomata manifesta morbi magnitudinem delarant, non dolose sub mali mitioris specie delitescentem.

§ 468.

Periculum habent inflammatoriae febres, quae cum inflammatione locali, morbi initio saepe ignoratâ, conjunctae sunt, aut quae in morbos secundarios abeunt, quorum eventus anceps est.

§ 469.

In vehementissimis inflammatoriae naturae febribus, sub enormi cordis arteriarumque agitatione, non modo has ipsas, sed venarum totam compagem, internâ superficie undique profunde rubentes ac inflammatas conspexit, aut similes arteriae, in primis magnae, phlogoses partiales invenit Johannes Petrus Frankius: quae tamen Viri Cl. verba minime docent, illud, quod in casu rarissimo fiat, semper aut frequenter accidere.

§ 470.

Natura medetur febri inflammatoriae per haemor-

rhagias, sudores, urinas, parotides, aliosque abcessus criticos: vel etiam per lentam resolutionem.

§ 471.

Curatio fit laxando stricta, minuendo humorum movendorum quantitatem, scilicet phlebotomiâ largâ, iteratâ; fotu emolliente, potuque eodem, acidiusculo, refrigerante; diaetâ simili; quiete corporis animique; atque iis omnibus, quae sub nomine regiminis antiphlogistici sunt nota. Stollius.

§ 472.

Evitentur stimuli, quibus sensus feriuntur externi, caloris praesertim et lucis effectus; stragula lecti leviora sint; potus adhibeatur copiosus, tenuis, acidiusculus; sanguinis detractio fiat ex amplo vulnere; clysmata applicentur derivandi consilio; a sinapismis et vesicatoriis abstineatur.

§ 473.

Febris inflammatoriae, cum phrenitide, peripneumoniâ aut aliâ phlogosi partiali conjunctae, cura instituatur secundum praecepta, in vario genere inflammationis proposita.

§ 474.

De inflammatoriâ febre legi merentur Johannes Baptista Burserius, Maximilianus Stollius, Johannes Petrus Frankius, tum quoque Augustus Theophilus Richterus.

J. B. Burserius, Instit. Medic. pract. vol. I. part. II; edit. Lips. pag. 305 seqq.

M. Stollius, Aphorismi de cognosc. et curandis Febribus; Vindob. 1786, § 51 seqq. pag. 12 seqq.

J. P. Frank, Epitom. etc. Libr. I. pag. 183 seqq.

A. G. Richter, Specielle Therapie etc. I Bd. 2te. Aufl. Berlin. 1817. pag. 115 seqq.

De febre biliosâ.

§ 475.

Febris biliosa causam habet auctam et mutatam hepatis vitam, plerumque cum secretione bilis justo magis copiosâ, id est cum polycholiâ vel plethorâ biliosâ, conjunctam. A qua dynamica hepatis affectione magis, quam ab auctioris secretionis effectu, repetendam esse febris originem, Frankius, Reilius aliique probarunt. »Omnes enim arquati (quae Galeni verba sunt) maxima sic afficerentur febre, quibus copia talis bilis in toto corpore continetur; sed haudquaquam febricitant prius quam alia quaedam causa concurrat."

§ 476.

Quamvis mutata hepatis vita et aucta bilis secretio proxime tribuenda sit hepatis irritationi, a variis causis inductae, neque confundendae cum hujus organi inflammatione, haec tamen ipsa febrem biliosam comitari potest, sive jam morbi initio adsit, sive serius demum ex aucta irritatione oriatur. Quapropter distinguendum est inter febrem biliosam simplicem, cum saburra biliosa conjunctam, et eam morbi speciem, quam comitatur vera hepatis inflammatio.

§ 477.

Febris biliosa simplex typum continuae remittentis servat, *remissionem* matutinam et *exacerbationem* ad vesperam habet: saepe autem acerbior hic morbi status febris tertianae simplicis aut duplicatae periodos sequitur.

§ 478.

Exordium sumit ab horripilatione et calore alterno,

cephalalgia et sensu caloris magni in capite; accedit dolor lumborum et dorsi; pulsus plenus, non durus, acceleratus; oculi rubri aut dilutissime flavi, aut cum modica flavedine subvirentes; genarum intensa rubedo, cum flavescente aut virescente pallore circa nares et labia; anxietas et sensus repletionis ad praecordia; inquies; aquae frigidae, acidulatae, et aurae frigidae perflantisque desiderium, ab iisque factum morbi levamen; urinae mox a principio flavae, croceae, spumosae, pingues; sanguis phlebotomiâ eductus aut laete ruber est, aut crustam format inflammatoriam intense flavam, serum viride, cum virore flavescens, amarum. — Quae symptomata stadium cruditatis potissimum notant. Stollius.

§ 479.

In stadio coctionis, id est tempore, quo materies biliosa ad ventriculum et intestina deposita, exitum molitur, notantur praesertim sequentia: lingua flava, et salivae insipidae, amarescentis affluxus in fauces; sapor vitiatus, amarus assumtorum; anorexia, ructus amari; nausea et vomitus materiae variae, fauces quandoque urentis, dentes stupefacientis; alvus intense flava, quasi ab assumto Rheo, olidissima, modice fluens. Stoll.

§ 480.

Febri biliosae, cui sociatur hepatis inflammatio, praeter symptomata § 478 memorata, ea sunt propria, quibus hepatitis vel membranacea vel parenchymatosa dignoscitur. Notandum vero, frequentius partialem adesse hepatis inflammationem, quam universalem, quâ quippe bilis secretio magis supprimatur quam promoveatur: dein etiam, hoc morbi genus ab

hepatitide verâ et simplici plerumque differre ordine et concursu symptomatum, universo aegrotantium habitu, et sanguinis per v. s. detracti naturâ.

§ 481.

Ad febrem biliosam disponunt temperamentum cholericum et melancholicum; aetas adulta; vitae genus laboriosum, habitatio in locis declivibus, paludosis. Inter excitantes causas referantur tempestas calida; subita aëris mutatio, qualis fit autumni initio; animi pathemata excitantia; inter deprimentia terror, moeror, sollicitudo; haemorrhagiae suppressae; vulnera capitis aliaeque causae sympathicae; spirituosorum abusus; victus carneus, pinguis, a quo Grantius morbum apud Anglos frequentiorem repetiit; labor denique nimius, unde, monente Cl. Eyerel, morbi biliosi hominum, qui Batavorum et Frisiae orientalis rura colunt aut messes conficiunt, quippe qui, quae Cl. Finkii verba sunt, reportent cum nummis semina mille malorum.

§ 482.

Sectiones cadaverum frequentius febris biliosae effectus quam causas docuerunt. Sic v. c. Malpighius in historia febris epidemiae biliosae, quae Pisis viguit anno 1661, observationes memorat Johannis Alphonsi Borelli, qui vesicam biliariam insigniter turgentem, et ventriculum praeterea, aut etiam intestina bilioso humore tincta invenerit. Similes sunt observationes Johannis Mariae Lancisii et Johannis Thomae Guidetii, qui, narrante Bianchio, bilem cisticam non tantum atratam, sed ulterius instar picis interdum concretam, non raro foetidissimam milleque aliis modis delinquentem deprehenderunt, et hepar potissimum subfusci

coloris. In cadaveris sectione, quam narravit Tissotus, hoc memorabile est, quod praeter vesiculam redundante bile turgidam, ventriculum liquore nigricante distentum et intestina tympanitica, visae fuerint glandulae mesentericae tumidae, flavo-rubentes, et pinguedo in omni corporis ambitu flava et bile tincta. Denique notabile est testimonium Tissoti, in epistolâ ad Zimmermannum, quod crusta albuminosa, viscera inflammata post mortem obsidens, flavescente colore tincta conspiciatur.

§ 483.

In sanitatem terminatur febris biliosa, cum Naturae tum Artis auxilio. Natura huic febri medetur sudoribus atque urinis, vomitu bilioso atque secessu, subinde fluxu sanguinis per nares, haemorrhoïdes, uterum; miliaribus, salivatione, aphthis. Huc etiam pertinet Icterus criticus, de quo haec notavit Jodocus Lommius: »Aliud quoque auriginis genus fit per febrium biliosarum judicationes, cum flavus humor vi naturae in summum corpus extruditur, suumque cuti imprimit colorem. Subito haec aurigo nascitur, et, si non alieno tempore fit, febrem absolvit.''

§ 484.

In mortem abit febris biliosa: 1) humoris biliosi metastasi ad partem nobilem, encephalum maxime et pulmones, itemque ad cava thoracis et pericardium, ut cadaverum sectiones docuerunt; 2) inflammatione interna impuri generis; 3) degeneratione putridâ, sponte natâ, aut male medicando inductâ. Stollius.

§ 485.

Quandoque in alios morbos mutatur, scilicet in fe-

brem inflammatoriam, ardentem, putridam; vel etiam in febrem intermittentem, exitu ut plurimum salutari; vel in morbos chronici generis, dysenteriam, hypochondriasin, hydropem, laesam hepatis aliorumque viscerum structuram.

§ 486.

In febre biliosa simplici prognosis bona est. Regnante mala constitutione epidemia, saepe periculosus est morbus. Anceps est febris biliosa, quam comitatur hepatis aut alius organi nobilioris inflammatio.

§ 487.

Male ominantur sitis magna, satiari nescia; lingua praerubra et sicca, aut fuligine tecta, arida, fissa; dolor urens in tractu intestinorum; singultus; diarrhoea frequens cum gravi tenesmo; delirium perpetuum; sudor viscidus, petechiae, haemorrhagiae passivi generis, meteorismus.

§ 488.

Ut apta instituatur febris biliosae medicatio, praeter eam morbi formam, quam comitatur hepatis inflammatio, duae distinguendae sunt morbi species, altera *inflammatoria*, quae provectior *febris ardens* vocatur, altera *biliosa* strictius dicta, cum colluvie manifestâ conjuncta, quae naturae aut arti superior terminatur in *febrem putridam.*

§ 489.

Febris biliosa inflammatoria, quae aliquando primum est morbi stadium, cujusque notae intelligentur cum e symptomatibus § 478 memoratis, tum ex accuratâ febris ardentis descriptione, quam post Aretaeum aliosque veteres, dedit Maximilianus Stollius, originem

suam magis a sanguine quam a bile habere videtur. Ille quippe phlogisticam naturam impuri generis refert, et fortasse ipsa bilis secernendae principia, quae Stollii, Grantii et Reilii fuit sententia, majori copiâ continet.

§ 490.

Unde intelligitur, quae in febre biliosâ inflammatoriâ conveniat medicatio. Curatio exigit aërem purum, frigidum, saepius renovatum; integumenta leviora; situm corporis erectum saepe; potus copiosos, blandos, demulcentes, subacidos, aquosos; cibos leves farinaceos ex fructibus subacidis confectos; venae sectionem, si morbi initium, plethorae indicia inflammationis singularis signa, calor intolerabilis aut alia symptomata graviora hanc exigunt; clysmatum blandorum, diluentium, laxantium, antiphlogisticorum, refrigerantium applicationem, repetendam, prout vis ardoris, siccitas alvi, revulsio requisita imperat; humectationem totius corporis, colluendo os et guttur, lavando pedes manusque tepidâ aut etiam frigidâ; medicamenta aquosa, blanda, nitrosa, grato acore sapida, alvum lenissime laxantia, urinae materiem suppeditantia, diluentia, temperantia. Stollius.

§ 491.

In alterâ morbi specie princeps indicatio consistit in corrigendo et evacuando fomite bilioso. Priori consilio, pro varia rerum ratione, respondent remedia emollientia, involventia, absorbentia, diluentia, acidiuscula, refrigerantia, leniter resolventia, alia, in quibus seligendis ad universam aegrotantium constitutionem, ad febris naturam ac vehementiam, ad morbi tempus, ad statum intestinorum, ad virium rationem

attendere oportet. Posterius medendi consilium exsequimur adhibendâ methodo vel emeticâ vel purgante.

§ 492.

Vomitu excutienda est materies biliosa, si circa ventriculum turgeat; quod innotescit potissimum ex linguâ luridâ et sordidâ (molli tamen et satis humidâ), ore amaro, animâ foetidâ, nauseâ, vomitu bilioso vel pituitoso, sensu molestiae aut ponderis circa praecordia, anxietate, cephalalgiâ sympathicâ, aurium susurru, oculorum caligine aut vertigine, neque interea febris impetus, aut inflammati ventriculi intestinorumque suspicio, aut sputum sanguinis, aut aliud quidpiam obstet. Burserius.

§ 493.

Signa autem e quibus colligis, materiem inferiora abdominis occupare, et exitum per alvum quaerere, sunt sequentia: flatus, borborygmi, leves dolores colici, abdomen plenum, tensum, anxietas et ventris pondus; alvus aut constipata, aut fluens faecibus olidissimis, flavis; dolor lumborum, artuum inferiorum pondus, dedolatio, dolor. Quibus praesentibus, aut omnibus aut pluribus, conveniunt purgantia mitiora, per epicrasin data, formâ ut plurimum liquidâ et in largiori vehiculo. Josephus Eyérel.

§ 494.

Febre fractâ aut multum mitigatâ, aeger sensim inter blandos, levantes, nocturnos sudores, sub usu solventium, saponaceorum, eccoproticorum, acescentium, convalescere incipit, morbo quatuordecim dies non excedente. Stollius.

§ 495.

De febre biliosâ scriptores principes sunt Johannes

Thomas Guidetius, Simon Andreas Tissotus, Maximilianus Stollius et Leonardus Ludovicus Finkius. Inter scripta minora consuli merentur Dissertationes, quas scripserunt Philippus Georgius Schroederus, Johannes Christianus Reilius, et Paulus de Wind, scholae Paradysianae discipulus.

J. T. Guideti, Dissertationes Medicae, videlicet de biliosis febribus et de biliosa Pleuritide; Lausannae Helvet. 1788. 8vo. (quae editio ab auctore ipso curata, multum praestat Bianchianae, in Parte IIItia *Historiae hepaticae*.

S. A. D. Tissot, Diss. de Febribus biliosis, seu historia epidemiae biliosae Lausannensis an. MDCCLV etc.; Lausann. 1758. 8vo.

M. Stoll, Ration. Medendi in Nosocom. Vindobon.; Parte potissimum Imâ. et IIdâ.

Ejusdem Aphor. de cognosc. et curandis Febribus § 340-375.

L. L. Finke, De morbis biliosis anomalis, occasione epidemiae, ab anno 1776-1780 in Comitatu Tecklenburgensi observatis etc.; Monaster. Westph. 1780. 8vo.

P. G. Schroeder, Diss. de amplitudine generis febrium biliosarum. Gott. 1766; in Opusc. Medicis etc. l. l. vol. I. pag. 45 seqq.

P. de Wind, Specimen pathologico-medicum de morbis vero et stricto sensu biliosis. L. B. 1790. 4to.

J. C. Reil, Cholopoesis uberior, seu polycholia; in Memorabilium clinicorum medico-pract. Fasc. IV., Halae 1795. 8vo. pag. 48 seqq. (Est editio emendatior utriusque scriptionis, ann. 1782 et 83, *de polycholia* editae).

De febre gastricâ.

§ 496.

Febris gastrica, quâ voce multi auctores usi sunt ut nomine generali, si strictius definiatur, ea intelligenda est febris, quae causam habet in digestionis officinâ laesâ, vel ab ingestis, copià aut naturâ suâ peccanti-

bus, vel ab excrementis in tractu intestinorum cunctantibus, vel a gastrico, pancreatico, aut enterico succo vitiato, vel denique ab irritamentis aliis, quae, Burserio monente, purgatione educi possunt, atque educta morbum imminuunt, aut penitus tollunt.

§ 497.

Unde apparet, qualis sit inter febrem gastricam simplicem seu legitimam, reliquasque febres alio charactere praeditas, subinde tamen cum labe gastricâ conjunctas, differentia; tum etiam, quo sensu febris gastrica, seu saburralis, cum *biliosâ*, *pituitosâ*, *verminosâ* conveniat aut ab iis differat; tum denique, quales excitantes causas notio morbi requirat, qualia sint intestinorum irritamenta, febri movendae apta, quae excludantur.

§ 498.

Causa proxima igitur ponenda videtur in irritatione intestinorum, vel effectum vel causam colluviei saburralis sistente, et omne digestionis, chylificationis et excretionis negotium pervertente.

§ 499.

In febre gastricâ haec potissimum notantur symptomata. Incipit a lassitudine et horripilatione brevi, quam calor excipit minus notabilis quam in febre biliosâ. Facies pallet vel luridum habet colorem. Anima, quam aeger spirat, ingratissime foetet; sapor mucosus, acidus, pinguis vel putridus est; crusta, quae in linguâ apparet, tenax, albida vel fusca est; adsunt anorexia, horror, nausea, vomitus; in ventriculo aut intestinis tensionis, oppressionis, plenitudinis, vel gravitatis sensus percipitur; accedunt ructus, borborygmi, tormina, flatus foetidi; alvus vel adstricta, vel praeter modum

liquida; urina turbida et sudores frequentes, acidi, non levantes. Pulsus aliquando suppressi, inordinati aut intermittentes sunt. Caeterum symptomata differunt pro sordium copiâ, naturâ et sede diversâ.

§ 500.

Ad hoc morborum genus disponunt intestinorum debilitas; nervorum, a quibus digestionis officina regitur, torpor; organorum, digestionem juvantium, vita inordinata et vitiata actio; habitatio denique in locis humidis paludosis, in quibus quippe, Frankio monente, nervorum imperio ac stomachi tenori quam plurimum detrahatur, sudor autem frequentius, quam sub frigidiori coelo, supprimatur.

§ 501.

Excitantes causae sunt, errores diaetae, crebrae aëris vicissitudines, vita otiosa, vigiliae diuturnae, tristes animi motus, irritamenta etiam aliunde in tractum intestinorum deposita.

§ 502.

Febres gastricae typum continuarum remittentium servant. Pleraeque inter septimum et decimum quartum diem, sordibus evacuatis, solvuntur: aliae, ad pituitosam naturam accedentes, ultra vicesimum diem aliquando porriguntur.

§ 503.

Prognosis pendet ab universali hominis aegrotantis constitutione, a sordium copia et indole, a criticis, quos Natura instituit, motibus.

§ 504.

Natura febrem gastricam sanat vomitu et diarrhoea critica, interdum etiam sudore, vel aucta diuresi.

§ 505.

Terminatur quandoque morbus in febrem nervosam vel putridam; in diarrhoeam chronicam et alia abdominis vitia.

§ 506.

In aegrotantibus vi morbi exstinctis, febris charactere nondum mutato, neque symptomatibus colliquativi generis praegressis, signa inflammationis perfidae, vel in tractu intestinorum, vel in partibus aliis, post mortem cernuntur.

§ 507.

Morbi natura atque ipsa ratio postulat, ut quam citissime omnis e primis viis saburra expellatur, inflammatio, siquis illius timor est, provide avertatur. Ex quibus Burserii verbis apparet, ad tractum intestinorum, in hoc febrium genere, sedulo attendendum esse, nullo autem inflammationis metu praesente, morbi fomitem, qui in ventriculo et intestinis haeret, per viam maxime securam, et tempore opportuno expellendum esse.

§ 508.

Praeter remedia evacuantia, aliquando etiam absorbentia aut alia requiruntur, ut ventriculi et intestinorum energeiam vitalem, universi corporis vires, ipsam febrem, et quae hanc comitantur, molimina critica regamus, moderemus, promoveamus.

§ 509.

De febre gastrica legatur Johannes Baptista Burserius: conferantur etiam scripta minora Johannis Christiani Reilii, Christiani Theophili Wedekindii et Jacobi Frederici Ludovici Lentini.

J. B. Burserii Institut. Medicinae Practicae Tom. I; edit. Lips. pag. 440 seqq.

J. C. Reil, De coctione promovenda sordium gastricarum; in Memorabil. Clinic. Fasc. II; Halae 1791. 8vo. pag. 18 seqq.

C. T. Wedekind, De morborum primarum viarum vera notitia et curatione etc.; Norimberg. 1792. 4to.

J. F. L. Lentin, Momenta quaedam generaliora circa febris gastricae distinctionem et medelam. Gotting. 1789. 4to.

De febre pituitosa.

§ 510.

Febris pituitosa vel mucosa, ab aliis glutinosa dicta, nomen habet a muco spisso et tenaci, in fila subinde ductili, ventriculum et intestina occupante. Qualis mutatae secretionis conditio vel a catarrho intestinorum, vel a labe aliquâ chronicâ, membranas mucosas in abdomine afficiente, vel denique a solidorum atoniâ et statu pituitoso universali repetenda videtur.

§ 511.

In explicanda igitur febris pituitosae origine, non ad solam muci abundantiam, organa digestionis laedentem, sed ad vitiatam quoque vitae organicae conditionem, ad debilitatam universi corporis compagem, et ad haematosin mutatam, fibrae quippe et cruoris in sanguine inopiam, attendere oportet.

§ 512.

Febris pituitosa, ut lente ingreditur; sic tarde quoque decurrit, in plures septimanas interdum porrecta. Surgentibus a somno, parum quidem refectis, lassis et morosis, fauces orisque cavum pituitâ obducta sunt; lingua alba, mucosa, saliva lenta, dentes et gingivae sordidae sunt; ructus inodori, copiosi, mucosaque

colluvies ex oesophago cum nausea propullulant; cibos vix appetunt, nec tamen iisdem protinus abstinent; post pastum, quasi indigestione laborantes, pigriores, somnolenti, de oppressione praecordiorum et plenitudinis sensu queruntur. Accedunt lassitudo et horripilationes vagae; tristitia involuntaria; capitis gravitas fere plumbea; aurium tinnitus; susurri; vertigo; stupiditas; sudores parvi, aut cute siccâ et squalidâ; urinae crudae, pallidae, vix olentes, cum sedimento subinde mucoso. Febris assidua est, in speciem mitis, pulsu propemodum naturali, subinde lento et debili, remissione obscurâ. Stollius et Frankius.

§ 513.

Ad eam disponunt temperamentum phlegmaticum; diathesis corporis verminosa, chlorotica; ventriculi et intestinorum debilitas. Occasionem praebent, tempus humidum, frigidum; habitatio in locis depressis, uliginosis; vita sedentaria; victus aquosus, farinosus, crudus aut depravatus; Venus immoderata; studia, vigiliae; moeror et alia animi pathemata deprimentia.

§ 514.

Febris pituitosa aliquando epidemio more grassatur, in primis si belli calamitates et difficultas annonae ad aërem nubilum et pluvias frequentes accedunt. Notissimae sunt epidemia Gottingensis, a Johanne Georgio Roederero et Carolo Gottlieb Waglero descripta, atque Neapolitana, quam descripsit Medicus Italus celeberrimus, Michaël Sarcone.

§ 515.

Sectiones cadaverum a Waglero factae docuerunt, post praegressam acutam febris pituitosae speciem, in

ventriculo et intestinis, praeter diuturnae congestionis aut etiam inflammationis notas, saepius conspici tunicam villosam admodum crassam, variegatam aut coerulescentem, per exteriores tunicas pallidas saepe transparentem, et interius tectam folliculis mucosis latioribus, vel compressis, vel muco stagnante plenis et in totidem capitula elevatis, speciem pustularum albarum exhibentibus et exiguâ aperturâ mediâ instructis, in intestino coeco et ad valvulam Bauhini, minoribus quidem, sed confertim in amplas areas collectis; aliquando etiam tunica villosa tecta erat frustis membranaceis, friabilibus, affusâ aquâ facile abstergendis et solutam epidermidem indicantibus. In intestinis eorum, qui febre pituitosa lenta defuncti erant, pro folliculis vix quaedam vestigia fungosa in tunicâ villosâ apparuerunt, muci viscidi, spissi et tenacis loco, mucus tenuis et deliquescens, aut etiam liquamen aliquod putridum adfuit; substantia hepatis atque lienis friabilis et facile dilaceranda erat.

§ 516.

Quod ad prognosin attinet, saepissime periculosa est febris pituitosa, propter proclivitatem in febrem nervosam lentam, et ob fallacem lenitatem, a quâ plerumque incipit.

§ 517.

Inter pejores, quos habet, effectus praeterea pertinent multi morbi chronici, nullâ febre stipati, chlorosis, hydrops, diarrhoea chronica, atrophia, marasmus. Inter affectiones locales, in quas terminari potest, referatur praesertim peripneumonia notha, de qua consulantur Sydenhami, Boerhavii, Stollii et Huxhami praecepta.

§ 518.

Sanatur vero solis naturae viribus, vomitu spontaneo, crebro, facili; diarrhoea non valida, saepius recurrente; sudoribus deinde, sponte natis, nocturnis, levantibus, in morbi decremento; miliaribus quoque, coctione praegressa; anacatharsi pituitosa; ptyalismo; intermittente quotidiana. Stollius.

§ 519.

Hinc methodum medendi docemur, quae obstructa reserat, spissa solvit, soluta evacuat, laxata firmat: remedio salino, incidente, resolvente, emetico leniori, subin per epicrasin propinato, subemetico, alterante; purgante consimili; dein subamaris, amaris, tonicisque. Stollius.

§ 520.

In quibus tamen remediis administrandis, summâ cautione opus est, quia morbi secundarii, Stollio monente, tunc potissimum oriuntur, quando methodus facta est vel justo calidior, vel nimis debilitans. Idcirco acrioribus stimulis est parcendum, principio praeprimis: atque universim hic lente festinandum. Quapropter Baglivius dixit: in nullo morborum genere tanta opus est patientia, exspectatione cunctationeque ad bene ac feliciter medendum, quantâ ad bene curandas febres mesentericas.

§ 521.

Ea prudentiae praecepta in primis tenenda sunt in febre pituitosâ acutâ, quam Medici recentiores typhum abdominalem dixerunt. In hac quippe morbi specie remedia absorbentia, mucilaginosa, oleosa; clysmata emollientia; hirudines ad ilia; cataplasmata ex farinâ lini parata, optima medendi sunt instrumenta.

§ 522.

Febris pituitosae criteria optime indicarunt Michaël Sarcone, Maximilianus Stollius et Christianus Theophilus Selle. Omnibus tamen, qui de hoc febrium genere commentati sunt, scriptoribus palmam praeripuerunt Johannes Georgius Roedererus et Carolus Theophilus Waglerus, quorum de morbo mucoso liber pro classico haberi meretur.

M. Sarcone, Geschichte der Krankheiten, die im Jahre 1764 in Neapel sind beobachtet worden; aus dem Italiänischen übersetzt etc., IIter Th. Zürich 1772. pag. 1 seqq.

M. Stoll, Aphorismi de cognosc. et curandis febribus § 376 seqq.

C. G. Selle, Rudimenta Pyretologiae methodicae.; edit. 3tiae Berolin. 1789. pag. 262 seqq.

J. G. Roederer et C. G. Wagler, De morbo mucoso liber singularis etc. Gotting. 1762. 4to. (Denuo edidit Wrisbergius, Gotting. 1783).

De febre verminosâ.

§ 523.

Cum pituitosâ proxime conveniens febris verminosa ea vocatur, quae a vermibus, mole suâ aut reptatu intestina graviter irritantibus, vel accenditur vel augetur, cum iis saltem adeo subinde cohaeret, ut, potentiâ animatâ neglectâ, nequeat tolli.

§ 524.

Quum quippe vermes originem suam praesertim repetant a statu pituitoso intestinorum, in intestinis autem perfecte sanis nunquam nascantur, apparet, febrem verminosam plerumque habendam esse pro morbo composito, cujus quippe causa resideat partim

in diuturnâ intestinorum affectione morbosâ, partim in auctâ generis nervosi et reliqui organismi sensilitate, excitatâ ab irritatione diuturnâ nervorum, qui vitae organicae serviunt.

§ 525.

Licet verminosa febris pro pituitosae specie aut varietate haberi possit, universalia tamen symptomata, quae in hac adsunt, in illâ deficiunt saepe, neque raro illam symptomata notant, quae in hâc penitus desiderantur.

§ 526.

Sunt autem febris verminosae symptomata, praeter singularem oris foetorem mucique abundantiam, appetitus prostratus vel irregularis, nausea subitanea, tempore praesertim matutino, vomitus, tensio vel meteorismus abdominis, dolores colici vel suctionis sensus, pruritus narium, stridor dentium, tremores, pavores, convulsio, aphonia, ptyalismus, animi deliquia, dolor capitis, susurrus aurium, diplopia, pupilla dilatata, labium superius tumidum, color faciei saepe mutatus, frequentes tenesmi, urina tenuis, limpida, vel etiam albida, jumentacea, muci putrescentis per alvum excretio, vermes denique per superiora aut inferiora expulsi. Febris lenta est, aut nervosae speciem refert, ut plurimum circa vesperam augetur, persaepe cum sudore copioso, subacido, foetido, symptomatico, debilitante.

§ 527.

Ut intelligatur magna ea symptomatum caterva, sciendum est, quâ ratione intestina saepe a vermibus afficiantur, qualisque sit inter ea et plerasque corporis partes sympathiae ratio. Docuit quippe Morgagnius et

comprobarunt Roedererus, Waglerus et alii, vermes aliquando excitare conditionem phlogisticam in membranâ mucosâ intestinorum. In epistola decima sexta, articulo 38, haec habet Morgagnius: »Vermes plurimi teretes in tenuibus intestinis, quae, ubi illi erant, et quodam praesertim in loco, subrubebant, ibidemque quasi per vim dilatata protuberabant." In epistola decima nona, articulo 17, haec leguntur: »annotatum fuerat, ileum intestinum ad aliquem tractum e livido rubere, eoque loco teretes continere lumbricos." In epistola denique tricesima quarta, articulo 33, luculentius res indicatur: »Tunc, quod reliquum erat, tenuia intestina aperiens, in duodeno materiam conspexi liquidis faecibus similem, in proximo autem jejuni tractu lumbricum teretem, in eodemque tractu et vicina duodeni parte sanguineas hic illic maculas, quibus intus utrumque, quasi ab inflammatione, quae irritationem consequi inciperet, distinguebantur." His aliisque Morgagnii observationibus fidem addunt Roedereri et Wagleri verba: »Si qua autem a vermibus irritatio simul accedit, externa quoque inflammatio ea in sede sese adsociat: quare circa lumbricorum nidos non solum villosa, sed tota intestini substantia inflammata tumet, vasis majoribus simul repletis."

§ 528.

Morbo mature cognito, prognosis satis bona est, si eos excipias casus, in quibus symptomata nervosa vehementiora a vermibus excitantur, aut in quibus, propter morbi pertinaciam, metus est febris nervosae lentae.

§ 529.

Indicatio duplex est. Prima vermes necare et ex-

pellere jubet ejusmodi remediis, quibus neque corporis, neque intestinorum conditio morbosa, neque etiam praesens febris augeri et incitari possunt. Altera stimulum verminosum minuere, et irritationem ab eo natam auferre docet, ubi symptomata nervosa, vel turbae graviores aliae, vermium extricationem vetant.

§ 530.

Assequimur prius medendi consilium Mercurio dulci, salibus mediis, purgantibus remediis lenioribus, oleo Ricini praesertim, remediis etiam anthelminticis stimulum leviorem habentibus, ut Valerianâ et Santonico.

§ 531.

Respondent indicationi posteriori medicamenta mucilaginosa, oleosa, involventia; lacticinia; narcotica leviora; clysmata emollientia; cataplasmata anodyna, abdomini imposita.

§ 532.

Quae de vermibus et febre verminosa scripserunt Athanasius Kircherus, Nicolaus Hartsoekerus, Christianus Langius, Christianus Franciscus Paullini aliique Pathologiae *animatae*, quam dicunt, fautores, maximam partem opinionum commenta fuerunt, quae delevit dies. Pathologiae autem verminosae sanioris fontes, scripta Johannis Mariae Lancisii, Ignatii Pedratti, cujus observationes servavit Morgagnius, et Marci Antonii Plencizii, indicavit Clar. de Haen. Quod ad recentiores scriptores attinet, legantur observationes Medici Hagani Imani Jacobi van den Bosch, et cautiones quas monuerunt Antonius de Haen et Samuel Musgravius.

I. J. van den Bosch, Historia constitutionis epidemicae verminosae etc.; L. B. 1769. 8vo.

A. de Haen, De febre verminosâ; in Rationis medendi etc. Part. XVItâ, Vienn. 1770, pag. 139 seqq.

S. Musgrave, An essay on the nature and cure of the so called worm-fever. London 1776. 8vo.

De febre catarrhali.

§ 533.

Illud febris continuae genus, quocum catarrhales capitis, narium, faucium pectorisve affectiones, vel ab initio conjunguntur, vel quod easdem, ut causam suam, proxime subsequitur, *febris catarrhalis* apud clinicos scriptores nomen obtinuit. Burserius.

§ 534.

Causa igitur febrem accendens *catarrhus* est, id est, subinflammatoria membranae mucosae, quae interiora corporis investit, irritatio, conjuncta, ut plurimum, cum notabili congestione, et cum mutato, vel etiam suppresso, secretionis, ab eo membranarum genere perficiendae, negotio.

§ 535.

Febris catarrhalis invadit potissimum sub vesperam, frequenti potius et repetita horripilatione, quam frigore et horrore, aut levi tantummodo extremorum refrigeratione, et quandoque etiam, ubi levior morbus futurus est, sine ullo sive frigoris, sive horripilationis indicio. Mitis ut plurimum est, et postquam aliquot horas increvit, solet circa mediam noctem sese remittere. Remissio autem non solum ad matutinum tempus, verum etiam ad totam fere diem producitur, donec iterum vesperi ordinatâ periodo resurgat et recrudescat. Praecedit, vel continuo subsequitur coryza

sive gravedo, catarrhus, sternutatio, lacrymarum profluvium, oculorum rubor, faucium phlogosis et dolor, molesta laryngis titillatio, raucedo, tussis satis importuna, sicca plerumque, aut pauca, tenuiā, salivalia excernens, raro mucosa et crassa, toto morbi decursu excrucians somnumque abrumpens, pectoris gravitas, dyspnoea, dolor tum dorsi, tum artuum omnium (praesertim cum gravitatis sensu et dedolatione conjunctus). Cum his saepe conjungitur cephalalgia, aut capitis gravitas et debilitas, universi corporis lassitudo, appetitus imminutus, gustus depravatus aut deficiens, et sitis. Burserius.

§ 536.

Ad catarrhales febres disponunt magna cutis teneritudo atque sensilitas. Ea plerumque tempestate morbus frequentissimus est, quâ aër multum incaluit, corporave in sudores dissolvit, aurae ab arcto acutius spirantis flamine identidem compressos. Illi etiam, qui ab itinere, aut exercitatione quacumque validiori sudoresque proliciente incalescunt, atque auram frigidiorem improvidi ad corpus denudatum admittunt, vel intra pulmones spirando recipiunt, hoc simplici morbi genere plectuntur. Stollius.

§ 537.

Quemadmodum a peculiari aëris constitutione febres catarrhales epidemiae subinde excitantur, sic contagio etiam catarrhus quicumque propagari posse videtur.

§ 538.

Natura critico saepe molimine huic febrium generi medetur, die plerumque septimo, vel decimo quarto. Interdum tamen morbus usque ad decimum septimum,

vicesimum primum, vel vicesimum septimum diem porrigitur.

§ 539.

Progrediente nimirum morbo sudores erumpunt, praesertim in remissionibus, copiosi et foetidi; pituita crassa et mucus e naribus emungitur; e faucibus, bronchiis et pulmonibus magna concoctae materiae albae et glutinosae, interdum flavae et puris similis, vis extussitur; aut diarrhoea insuper cum urina simul, sedimentum deponente, supervenit; quibus febris feliciter solvitur. Burserius.

§ 540.

Saepe in alios terminatur morbos, in primis, in febres nervosi aut putridi generis. Neque raro angina, peripneumonia, pleuritis, aut viscerum in abdomine inflammatio, febrium catarrhalium vel satellites, vel pedissequae sunt.

§ 541.

Febres catarrhales, quae epidemio more grassantur, saepe periculosae sunt: illae etiam, quae cum inflammatione locali conjunctae sunt. Quo magis morbus ab indole sua leviore recedit, et cum vehementiâ tam frigoris, quam aestus insultat, eo justior, Junckero monente, metus est alicujus labis circa viscera haerentis. Dubia quoque prognosis est, si homines afficiuntur, quibus nervosa temperies est.

§ 542.

Quamvis erronea et saepe periculosa sit Johannis Brunonis aliorumque Medicorum sententia, catarrhales affectiones solo frigore externo et interno sanandas esse, negari tamen non potest, usum calefacientium, sudoriferorum et stimulantium valde nocivum esse.

§ 543.

Sola quies et lectuli tepor, et largus tepensque potus, qui diluat, temperet, stricturam tollat, et leniter secretiones excretionesque omnes, sputi praesertim et sudoris, adjuvet, cum tenuiori victus genere, plerumque sufficient. Burserius.

§ 544.

At cum febris paulo intensior tenet, et graviora symptomata invehit, aut inflammationem aliquam sociam habet, venae sectione, methodo antiphlogisticâ, remediis oleosis, derivantibus, antispasmodicis, aut alio efficaciori artis auxilio opus est.

§ 545.

Febrem catarrhalem optime descripserunt Johannes Baptista Burserius et Guilielmus Grantius. Legi quoque meretur Janus Michellius, cujus tamen de morbo sanando praecepta minus probanda sunt. Epidemias ejusmodi febres memorarunt Thomas Sydenhamus, Johannes Maria Lancisius, Guilielmus Grantius, Guilielmus Falconer, Andreas Duncan, Maximilianus Stollius, Carolus Strackius, Philippus Ludovicus Wittwerus, alii; nostrates scriptores a Thysseno et Dollemanno recensentur.

J. B. Burserii Institut. medico-practic. Vol. I pag. 407 seqq.

W. Grant, An enquiry into the nature, rise, and progress of the fevers most common in London etc.; Lond. 1771. 8vo. pag. 117 seqq.

J. Petersen Michell, Geneeskundige Verhandeling over de oorzaken, onderscheiding en genezing der febres catarrhales etc. Middelb. 1785. 8vo.; ook in de Verhandelingen van 't Zeeuwsch Genootschap te Vlissingen. XI D. pag. 91 seqq.

De febre rheumatica.

§ 546.

A catarrhali distinguenda est ea febris, quae rheumatismo accedit. Quum in illa tunicae glandulosae internae afficiantur, et excretio subsequatur; in hac autem, externae musculorum tunicae patiantur, et morbus evacuatione critica non solvatur. Frid. Hoffmannus.

§ 547.

Est igitur febris rheumatica ea continuae remittentis species, quae sibi junctos habet dolores acutos, saepe diffusos, nocte praesertim ingravescentes, in musculis, ligamentis, tendinibus, artus medios occupantibus, sedem suam habentes, a sudoribus symptomaticis, non levantibus, saepe sociatos. Cujus morbi symptomata his verbis complexus est Sydenhamus: »A rigore atque horrore orditur tragoediam, quos statim excipiunt calor, inquietudo, sitis, et reliqua illa infelix symptomatum caterva, quibus stipantur febres. Elapso die uno alterove, (est et ubi citius) aeger atroci dolore, nunc in hoc, nunc in illo artu infestatur, in carpis, humeris, genubus praesertim; qui locum subinde mutans, vicissim illos occupat, rubore quodam et tumore in parte, quam postremum adfecit, adhuc residuis. Primis aliquot diebus, febris et symptomata jam memorata quandoque coincidunt; febris autem sensim evanescit, manente dolore, quin et nonnunquam immanius saeviente, materia scilicet febrili in artus translata, quod satis arguit febris ipsa saepius recrudescens, ob materiam morbificam ab intempestivo externorum usu repercussam."

§ 548.

Ex quà Sydenhamianâ febris rheumaticae descriptione differentia simul apparet, quae inter hanc et rheumatismum acutum, quem calidum, inflammatorium, febrilem vocarunt, notatur. In illà quippe dolores rheumatici motus febriles praegressos sequuntur; in hoc per doloris vehementiam demum accenditur febris.

§ 549.

Quid autem sit rheumatismus aut irritatio rheumatica, febrem accendens, optime intelligetur, si sciamus, quo modo, sede suà, symptomatum et effectuum ratione, a vulgari inflammatione, tum etiam a catarrho differat.

§ 550.

Sedes hujus mali potissimum in vasis serosis et lymphaticis est, telam cellulosam, inter cutem et musculos sitam, perreptantibus; est item in membranis musculos tendinesque investientibus, in membranis vasa sanguifera constituentibus, in aponeurosibus, ligamentis, in membranis glandulas, nervosque ipsos et ossa ambientibus. Stollius.

§ 551.

Differt autem rheumatismus a vera inflammatione, dolore magis diffuso, parte affecta plerumque magis tumente, acrius dolente, minus tamen rubente: tum etiam sanguinis habitu, crusta diffusa, minus dura, raro contracta, subflava: denique dolore volatili, tumoreque saepe ambulatorio. Stollius.

§ 552.

Inflammatio rheumatica diutius durat, quam vera.

Pernicies rarior et minus praeceps a rheumatica, quam a vera inflammatione. Neque eae sequelae sunt a vera inflammatione, prout a rheumatica et spuria. Subinde et fluctuatio percipitur in inflammatione rheumatica, at pus nullum reperitur, abcessu licet aperto. Plerumque sponte solvuntur benigne et sine suppuratione, aut apertae per artem mucum loco puris dant. Nonnunquam cito tumor ejusque fluctuatio cessat, et ad aliam partem migrat. Nonnunquam manet cessante dolore tumor, sed oedematosus. Stoll.

§ 553.

Rheumaticae febres nullo non tempore, praesertim tamen vere et auctumno grassantur. Nulli aetati aut sexui morbus parcit; praecipue vero aetate florentes afficit et corpora studiis, vigiliis, venere et vino irritata. Maxime vero omnium, quae Hoffmanni verba sunt, videmus eos, quibus in juventute haemorrhagiae narium frequentiores fuere et dein cessarunt, rheumaticis esse obnoxios doloribus. Inter excitantes causas principem locum tenet repentinum frigus corpori aestuanti admissum.

§ 554.

Licet morbus, Sydenhamo monente, rarissime hominem e medio tollat, febre semel depulsa, tamen et vehementia doloris et diuturnitas eum prorsus contemni non sinunt. Etenim si minus perite tractetur, aut in tempus longissimum extenditur, aut facta metastasi in organa nobiliora, ipsi vitae minatur.

§ 555.

Sectiones cadaverum a Drelincurtio, Morgagnio et paucis aliis, nostrà autem aetate, a Portallio, Cruveil-

hierio aliisque factae docuerunt, post rheumatismum acutum, continuâ febre stipatum, ipsam musculorum caeterarumque partium laborantium compagem, cum colore tum structurâ subinde mutatam esse, in primis autem notari humorem spissum viscosum, gelatinosum, quem tela cellulosa, vaginae et aponeuroses, quibus musculi aliaeque partes fibrosae teguntur, copiâ satis magnâ contineant.

§ 556.

Judicatur febris rheumatica septimo, decimo quarto, vicesimo die, quin etiam serius, evacuatione sanguinis spontanea per nares, haemorrhoïdes, uterum; urinis copiosis, cum hypostasi subalbida; subinde etiam alvo diarrhoeica, efflorescentiis cutaneis, miliaribus. Stoll.

§ 557.

Unde intelligitur medendi ratio. Sanatur quippe potu multo, refrigerante, diluente, diaphoresin et diuresin leniter promovente, emollientibus praesertim nitrosis et sambucinis. In corpore plethorico, in majori febris vehementiâ aut in inflammationis localis metu, venae sectiones, subinde etiam repetitae, principem locum tenent.

§ 558.

De hoc morbi genere praeclare scripserunt Guilielmus Ballonius, Thomas Sydenhamus, Fredericus Hoffmannus, Maximilianus Stollius et Michaël Sarcone.

G. Ballonius, Consiliorum medicinalium Libr. III. Consil. LXVII; in Operr. Omn., curâ Jacob. Thevart, Tom. III, Venet. 1735, 4to. pag. 333 seqq.

Ejusdem Quaestiones Medicae de Rheumatismo (I An Rheumatismus et Arthritis congeneres? II An a Rheumatismo Dysenteria κακοήθης? III An Rheumatismo venaesectio?); in Opp. Omn. Tom. IV. pag. 293 seqq.

T. Sydenham, Observationes medicae circa morborum acutorum historiam et curationem, Sect. VI Cap. V; in Opp. Universis, edit. L. B. 1726, pag. 272 seqq.

F. Hoffmann, Medicin. rational. systematicae Tom. IV, Part. II, Sect. II, Cap. VIII; in Operr. omnium Physico-medicorum Tom. II, Genevae 1740, fol., pag. 317 seqq.

M. Stoll, Rationis medendi in Nosocomio practico Vindobonensi Tom. V, Sect. III, *Febris rheumatica.* (edit. Leidensis 1790, pag. 263 seqq.)

M. Sarcone, Von dem rheumatischen Fieber, welches im Februar 1764 ist beobachtet worden etc.; in Geschichte der Krankheiten in Neapel etc., I Th., Zürich 1770, 8vo. pag. 83 seqq.

De febre nervosa.

§ 559.

Febris nervosa causam habet in morbosâ generis nervosi affectione, quae maximam partem cernitur in auctâ sensilitate et irritabilitate, viribus autem, a quibus omne corporis robur est, vel languidis et prostratis, vel insigniter suppressis, ita ut subito quidem, sed inordinate et imperfecte stimulis alienis repugnent.

§ 560.

Constat hinc, minime febres quàscumque, in quibus nervosa notantur symptomata, nervosarum nomine insigniendas esse: tum etiam, hoc febrium genus artis frequentius, quam naturae sobolem esse.

§ 561.

Princeps igitur morbi criterium sunt turbae nervorum, quae, ut Sellius habet, nec inter se, neque causis manifestis respondent, cum febre inordinatâ, nec continente, neque regulariter remittente, conjunctae. Unde apparet ratio, quare febris *atacta* dicatur.

§ 562.

Quod ad labefactatam attinet vitalis principii energeiam, febris nervosa cum febre putridâ convenit; ab hac autem differt, tum praesentiâ symptomatum, quae nervorum anomaliam testantur, tum absentiâ earum affectionum, quae e vitiatâ humorum crasi proficiscuntur. Quemadmodum autem signa, ultimo loco memorata, subinde comitantur febris nervosae finem, sic etiam putrida febris rarissime terminatur in mortem, quin nervosa symptomata habuerint locum.

§ 563.

Pro diversâ morbi origine, inter febrem nervosam protopathicam sive primariam, et deuteropathicam seu secundariam distinguitur. Haec illâ longe frequentior.

§ 564.

Disponunt ad febrem nervosam, delicatior corporis compages, temperamentum nervosum, magna corporis animique agilitas. Occasionem praebent, aër humidus calidus, potus aquosi tepidi, aut diuturnior spirituosorum abusus, studia immoderata, graviora animi pathemata, luxus et vita otiosa, abusus veneris, lasciva consortia, lectio frequens librorum, qui amoris fata depingunt, vigiliae protractae; contagium, et contagio graviora inepta remedia.

§ 565.

Dividuntur febres nervosae in *acutas* et *lentas*. Has nervorum torpor et inertia, illas auctior vel inordinata actio in motuum et sensuum organis, comitantur.

§ 566.

In febre nervosâ acutâ, quam *versatilem* dixit Frankius, haec potissimum notantur symptomata: post

plumbeam artuum lassitudinem et torporem, horrores oriuntur vagis caloribus intercurrentes; lumborum et capitis dolores; vertigines; hebetudo; manuum, artuum, linguae tremores; nimia sensuum externorum, visus et auditus potissimum acuties; oculi rubentes, splendentes, sordidi; vox acuta vel rauca; agrypnia, anxietas, delirium, morositas, tristitia, insolita loquacitas, risus, cantus. Pulsuum sub morbi decursu variabilitas summa: saepe exiles, vacillantes, intermittentes. Lingua albescens, aut sicca et aspera cum siti perpaucâ, vel denique naturalis et tremula: urinae multae, pellucidae, aquosae; alvus vel tarda, vel cum ipsis urinis involuntaria. Subitanea virium prostratio, lipothymiae frequentes, convulsio, tendinum subsultus, sudores viscidi, frigidi, praecordiorum oppressio, difficilis respiratio, — subinde mors improvisa, scenam claudit. Frankius.

§. 567.

Lentae utique febres in regionibus minus aestuantibus, constitutione humidâ, circa loca uliginosa, frequentissimae sunt. Imbecillos aut naturâ, aut casu, aut moerore exercent; tum eos, qui pravo crudoque victu vescuntur. Nonnulli sensim minus minusque valent; cibos fastidiunt, vel male concoquunt, et animo marcent, antequam febris palam invadat: maximam autem partem homines levi vagoque horrore, incerto lenique calore, sub initio corripiuntur. Accedunt simul universalis languoris species, et animi tarditas aut abjectio, ita ut aut loqui, aut moveri pigeat; dolor obtusus capitis, qui posteriorem praecipue partem obtinet; facies languida, pallida, tristis; inquietudo, agrypnia vel coma vigil; pulsus celer, debilis et inae-

qualis, nonnunquam formicans; partium inferiorum et extremarum frigus, dum superiora calent; lingua tenui ut plurimum, albicante muco obtecta; absentia sitis; nausea, vomitus inanes vel mucosi; urina pallida et limpida; tremores universales et tendinum subsultus; delirium mite; ungues pallidi vel lividi; sudores glutinosi; alvus et urina involuntaria; signa alia, quae ad summum prostratas vires vitales indicant. Huxham et Glass.

§ 568.

In utroque tamen febrium nervosarum genere, in primis in febre nervosâ acutâ, accuratius inter species distingui posse videtur, prout aut sensilitatis aut irritabilitatis praesertim organa, vel justo alacriora sunt, vel praeter modum labefactata. Quo fundamento nititur distinctio inter tres morbi formas, suis quasque signis notatas, *erethicam*, *torpidam* et *stupidam*.

§ 569.

Ad febrem nervosam stupidam proxime accedit *typhus*, cujus symptomata essentialia sunt, sensuum externorum stupor, virium vitalium languor, aut ab igne sub cineribus latente suffocatio, somnolentia et delirium taciturnum, natura ut plurimum contagiosa.

§ 570.

Neque tamen negandum est, in universo febrium nervosarum genere, dubiam saepe esse diagnosin, et prognosin difficilem. Quod ad hanc attinet, cum morbi vehementia, tum virium ratio, tum universa aegrotantium constitutio, quid sperandum metuendumve sit, doceant. Salutis spem praesertim largiuntur, symptomatum inter se et cum morbi causis conspiratio; oculorum et faciei habitus naturae conveniens; carnium

cutisque mollities non glutinosa; auditus sub fine morbi gravescens; sensuum internorum turbae minores aut intermittentes; somnus quietus aut naturali simillimus.

§ 571.

Qualia praesertim ancipitem morbi eventum aut mortem futuram portendant, Hippocratis sententiae docent, Naturae voce expressae.

In morbis autem acutis inprimis quidem aegroti facies sic in considerationem adhibenda, sitne bene valentium praecipueque sui ipsius similis: ita enim optima existimanda, quae vero ab eo plurimum recedit, gravissimum periculum portendit. Qualis fuerit nasus acutus, oculi concavi, collapsa tempora, aures frigidae et contractae imisque suis fibris inversae, cutis circa frontem dura, intenta et resiccata, et totius faciei color ex viridi pallescens, aut etiam niger, aut lividus, plumbeus. Progn.

Si oculi lucem refugiunt, aut illachrymant praeter voluntatem, aut pervertuntur, aut alter ex iis minor fit, aut quae in iis alba esse debent rubescunt, aut lividae palpebrae sunt, aut in iisdem venulae nigricant, aut lippientium oculorum sordes circa eorum aciem appareant, aut etiam assidue mobiles, aut tumidi, aut vehementer cavi fuerint, aut eorum adspectus squalidus et minime lucidus, — haec omnia mala perniciosaque existimanda. Quin etiam per somnum an ex oculis aliquid subappareat, spectare oportet. Progn.

Lethale quoque, labra resoluta pendentia, frigida et exalbida esse. Progn.

At aegrum a Medico in latus dextrum aut sinistrum recumbentem deprehendi oportet, manibusque et cervice, ac cruribus paulum reductis, totoque corpore

molliter posito. Hic enim fere sani jacentis est habitus. Is autem habetur optimus decubitus, qui bene valentium similis est. Supinum vero jacere, manibus, cervice et cruribus porrectis, minus bonum. Quod si pronus ad pedes de lecto delabatur, magis formidandum. Ubi vero pedes nudos nec admodum calidos habere comperietur, et manus, cervicem et crura inaequaliter dispersa et nuda, malum; anxietatem enim indicat. Lethale quoque, et hianti ore assidue dormire, et ubi supinus jacet cruribus valde contortis et implexis. At in ventrem jacere ei, qui per bonam valetudinem ita dormire minime consuevit, delirium aut partium circa ventrem dolorem indicat. Aegrum vero residere velle in ipso morbi impetu, pravum quidem in omnibus morbis acutis, et pulmonum inflammatione laborantibus pessimum. Progn.

Somnus, vigiliae, utraque modum excedentia, malum denuntiant. Aphor. Quo in morbo somnus laborem facit, lethale: quodsi juvet somnus, minime lethale. Aphor.

Noctu dormiendum, interdiu vigilandum; contra vero malum. Minimum autem offendit, si quis matutino tempore ad tertiam diei partem dormiat. Qui vero ab hoc tempore somnus est, malus. Pessimum tamen est, si somnus neque noctu, neque interdiu accidit. Id enim ob dolorem laboremque accidit, vel delirium fore significatur. Praen. Coac.

De manuum vero motione ita censeo. In febribus acutis, aut pulmonum inflammationibus, aut phrenitide, aut capitis doloribus, quibus ante faciem feruntur, et aliquid frustra venantur et festucas colligunt, aut floccos e vestibus evellunt, et ex pariete paleas

carpunt, ex his omnibus malum et mortem portendi. Progn.

Facile autem spirare, valde magnum ad salutem momentum existimandum, cum in omnibus morbis, quibus febris adjuncta est, tum in his, qui intra dies quadraginta judicantur. Progn.

Sudores optimi quidem per omnes morbos acutos, qui diebus judicatoriis contingunt, et penitus febre liberant. Boni vero, quicumque toto corpore oriuntur, faciuntque, ut aeger morbum facilius ferre videatur. At qui nihil tale efficiunt, minime sunt utiles. Pessimi autem frigidi, quique circa caput tantummodo, faciem et cervicem oriuntur. Ii namque cum acuta febre mortem, cum mitiore vero morbi longitudinem praenuntiant. — Atque hoc in totum de sudoribus animadvertere oportet, quod nonnulli quidem ex corporis dissolutione, quidam etiam ex inflammationis vehementia contingunt. Progn.

Quae parva copia apparent, velut stillae sanguinis, urinae, vomitiones et dejectiones, malum quidem penitus denuntiant, pessimum vero, si exiguis intervallis sese consequantur. Coac. Praen.

Quae cum malignis signis allevamentum afferunt, et quae cum bonis non remittunt, molesta sunt et difficilia. Coac. Praen.

Praeter consuetudinem aliquid facere, ut verbi gratia aliquid propensius curare et magno studio eniti prius non consuetum, aut contra, pravum et delirio proximum. Coac. Pr.

Mente constare, et bene habere ad ea, quae offeruntur, quovis in morbo bonum: contra vero, malum. Aphor.

In febre mutum esse, malo est. Coac. Pr.

In homine moderato ferox et audax responsio, vox acuta, malum portendunt. Coac. Pr.

Desipientiae, quae jam admodum fractis et debilitatis viribus succedunt, pessimae sunt. Coac. Pr.

Convulsioni febrem advenire praestat, quam convulsionem febri. Aphor.

Qui temere ac praeter rationem, nullâ existente vasorum inanitione, impotentes fiunt, ii male habent. Coac. Pr.

In his, qui propter imbecillitatem non vident, nec audiunt, aut quibus labrum, aut oculus, aut nasus pervertitur, mors denuntiatur. Coac. Pr.

§ 572.

Febres nervosas, licet nulla exhibuerint febris inflammatoriae symptomata, saepius tamen cum *inflammatione locali* conjungi, post Baglivium, Wepferum, Morgagnium, Lorryum multosque alios, verissime dixit Johannes Petrus Frankius, qui simul notavit, typhum vix non semper pertinere ad febrem nervosam, cum abdominalium viscerum inflammatione subinde conjunctam. Quae a Frankio visae sunt cerebri, faucium, pulmonum, ventriculi, intestinorum aliarumque partium in febribus nervosis inflammationes, eae nostrâ praesertim aetate diligentissime sunt descriptae. Cave tamen, ne in errorem ducaris ab iis, qui extrema sectantur. Antiquiores Medici peccarunt in eo, quod inflammationes locales, cum hoc febrium genere sociatas, habuerint vel morbi *effectum*, vel *complicationem*. Oppositum errorem commiserunt multi Medici recentiores, statuentes, inflammationis et laesae structurae organicae signa, quae in tractu

intestinorum aliisque partibus reperiuntur, semper pro febris nervosae *causis* habenda esse, neque febrem hanc sine iis posse adesse.

§ 573.

In qua opinionum discrepantia, ab iis, qui veritatem assequi cupiunt, ita fere statuendum est: 1) in visceribus hominum morbo hoc denatorum, inflammationem utique et inflammationis effectus frequentissime reperiri; 2) inflammationem eam multiplicem, nullâ febre comite, aliquando adesse; posse autem, ut notavit Frankius, praeter *inflammatoriam*, febres quoque charactere alio praeditas, a causâ hâc excitari; 3) inter laesae structurae vitia, qualia post mortem reperiuntur, atque febres nervosas gravissimas aliquam certe adesse communionem, neque tamen ab illis singula repeti posse morbi symptomata; 4) febres nervosas ita terminari posse in mortem, ut diligens mortuorum investigatio laesam structuram organicam detegere nequeat.

§. 574.

Ideo non mirandum est, febrem nervosam omni naturae et arti aliquando superiorem esse. Saepe tamen juvat natura, quae huic febrium generi medetur, ratione lenta plerumque et insensili, perpiratione moderata, aut sudore aequali, cutis ardorem dissipante, roris naturalis in linguâ reditu, auctâ diuresi, cum sedimento levi, tritis lateribus simili; subinde etiam manifestius, alvo solutâ, metastasi in cutim aut glandulas, sanguinis aliquo fluxu, morbi initio. Cujusmodi molimina critica antecedit quandoque acerbior symptomatum, quae a genere nerveo proficis-

cuntur, conditio, inquietudo, anxietas, auctum delirium, subsultus tendinum, convulsiones, alia.

§ 575.

Quid ab arte praestandum sit in febre nervosâ curandâ, ex antea dictis apparet. Prima indicatio jubet, ut latentis inflammationis aut saburrae cujusdam indicia, si adsint, prudenter, mature tamen et viribus integris, removeantur. Altera indicatio vim vitae, morbi et aegrotantis naturae convenienter, moderare praecipit.

§ 576.

Quae cum auctâ sensilitate et irritabilitate conjunctae sunt, febres nervosae remedia requirunt diluentia, refrigerantia, ea praesertim quae simul sedantia sunt, ut Nitrum aliosque sales neutros mitiores, acida vegetabilia et mineralia valde diluta. Saepe etiam opus est remediis emollientibus, involventibus, antispasmodicis, revellendi et derivandi vi praeditis: tum etiam venae sectione, hirudinibus, epithemate frigido capiti imposito.

§ 577.

In febre nervosa lenta, si verus adsit virium languor, aut stupor, remedia requiruntur, quae torpentem generis vasculosi et nervei actionem excitent, corpori simul alimentum et robur addant. Caute tamen inter debilitatem veram et apparentem, inter vires exhaustas atque suppressas distinguendum est.

§ 578.

De cognoscendâ et curandâ febre nervosâ optime praeceperunt Johannes Huxhamus, Josephus Quarinus, Christianus Theophilus Sellius et Johannes Petrus Frankius. Inter scriptores recentiores consulantur praeser-

tim Christianus Guilielmus Hufelandius et Johannes Valentinus Hildenbrandius.

J. Huxham, Operr. physico-medic. etc. Tom. I pag. 163 seqq. Tom. II Cap. VII pag. 78 seqq.

J. Quarin, Animadvers. practic. etc.; ed. J. L. Kesteloot, Tom. I, Gandavi 1820. 8vo. pag. 65 seqq.

C. G. Selle, Rudiment. Pyretolog. method.; edit. 3tiae. Berol. 1789. 8vo. pag. 299 seqq.

J. P. Frank, Epitomes Libr. I, Mannhem. 1792, pag. 93 seqq.

C. W. Hufeland, Ueber die Nervenfieber und ihre Complicationen in den Jahren 1796—98; Jena 1799. 8vo.; Vers. Holland. Gron. 1808.

Desselben, Ueber die 1806 und 7 herrschenden Nervenfieber. Berlin 1807. 8vo. Vers. Hollandic. Amst. 1809.

J. V. von Hildenbrand, Ueber den ansteckenden Typhus etc.; 2te Aufl. Wien 1814. 8vo.

§ 579.

De sedibus autem et causis morbi per Anatomen indagatis Medici adhuc, mirum dictu, dissentiunt. Cerebri quippe vitia indagarunt praesertim Johannes Armstrong, Thomas Millis, Thomas Bateman aliique Medici Angli, qui nostrà aetate de typho et febre nervosa scripserunt. Viscerum autem, quae in abdomine collocata sunt, laesionem organicam variam, qualis in hoc febrium genere aliquando occurrit, praeter scriptores antea laudatos, accuratius investigarunt Carolus Billard et Petrus Carolus Antonius Louis: in Germania vero Doctissimus von Pommer, Ignatius Rudolphus Bisschoff, et Ferdinandus Lesser. Quorum scriptorum studium, eà cautione, quam § 572 et 73 praecepimus, ad accuratiorem diagnosin et majorem in medendo prudentiam commendandum est.

P. C. A. Louis, Récherches anatomiques, pathologiques et thérapeutiques sur la maladie connue sous les noms de Gastro-entérite etc. Paris. 1829. II vol. 8vo.

C. F. von Pommer, Beiträge zur näheren Kenntniss des sporadischen Typhus etc., gegründet auf Leichenöffnungen. Tübingen 1821. pag. 22 seqq. 64 seqq. pag. 117 seqq.

Desselben, Zur Pathologie des Verdauungskanals; in Heidelberger klinische Annalen, II Bd. 1826. pag. 1 seqq.

J. R. Bisschoff, Darstellung der Heilungsmethode etc., in den Jahren 1826 und 27; Wien 1829. 8vo. pag. 96 seqq., 100 seqq., 183 seqq.

F. Lesser, Die Entzündung und Verschwärung der Schleimhaut des Verdauungskanals als selbständige Krankheit, Grundleiden vieler sogenannter Nervenfieber etc. dargestellt. Berlin 1830. 8vo. mit 6 Kupfert. fol.

De febre putridâ.

§ 580.

Febris putrida causam habet in summo partium solidarum viriumque, quae eas regunt, vitalium languore, et in peculiari humorum, sanguinis potissimum, diathesi, quae dyscrasia putrida dicitur. Qualis sanguis pravam suam naturam proxime quidem a potentiae conformatricis ipsiusque vitae inertiâ repetit, suâ autem vice vim vitae pessumdat, quia ad nutritionem corporis, ad varium secretionis genus, et ad irritationem vere vitalem ineptus est.

§ 581.

Praecedunt aliquando temulentia capitis; anorexia; sensus repletionis, etiam ante pastum; frontis calor praeter naturalis, cum obtuso ejusdem dolore; somni turbati, non reficientes, lassitudo spontanea; gravitas totius corporis. Stoll.

§ 582.

Morbi praesentis signa sunt: facies tristis, flavescens, terrea, velut attoniti aut profunde meditantis:

animi peculiaris dejectio, sensuum stupor et tarda responsio; temulentia capitis et lumborum dolor; anxietas sub diaphragmate, aut dolores colici vagi; lingua sicca, arida, flavo viridique, aut nigro muco obducta; nausea et conatus vomendi; halitus oris foetidissimus; sitis intensa; alvus initio adstricta; cutis arida; urina pauca, turbida aut rubra, sine sedimento; delirium mite, nocturnum cum stupore alternans; oculi rubicundi, subflavi, lemosi, pulverulenti, vel etiam distorti; calor ad attactum mordax; pulsus vere debiles, accelerati; petechiae et vibices coloris varii; fuligo circa dentes et labia; gutturis turgor et aestus; aphthae copiosae; singultus; diarrhoea foetidissima, cadaverosa; meteorismus; haemorrhagiae passivae; locorum, qui cubando premuntur, gangraena; sudores viscidi; extremorum frigus. Lommius et Stoll.

§ 583.

Sanguis vel sponte, vel artis auxilio, e corpore evacuatus, laxiori et molliori contextu est, atque adeo exiguam coagulandi vim habet, ut fibra et cruor vix a sero secedant. Aliquando tamen insula formatur, obtecta cuticulâ, coloribus arquatis micante, aut etiam satis tenacem exhibet crustam, quae crustae inflammatoriae quidem speciem refert, ab hac vero distingui potest tum colore suo, tum cruore adeo dissoluto, ut a sero facillime solvatur et huic rubrum suum impertiat colorem.

§ 584.

Disponit ad hoc febrium genus scorbutica humorum diathesis. Causam occasionalem suppeditat, quidquid vim vitae dejicit, humores depravat, et adynamiam partium solidarum, vasorum praesertim, inducit: aër

humidus, calidus, stagnans, in navigio, ergastulo, nosocomio, vel effluviis animalium, vegetabilium, potissimum putrescentium, contaminatus: inedia victusque pravus: animi pathemata tristia, diuturna; febris quaecumque alia neglecta, vel male curata. Stoll.

§ 585.

Prognosis cum ab humorum indole, tum a virium vitalium ratione et ab universâ aegrotantis constitutione petenda est. Male potissimum ominantur, impura, complicata morbi indoles; pulsus parvus, contractus (latentis phlogoseos signum), inaequalis; tum quoque, monente Burserio, urina alba, vigiliae pertinaces, respirationis difficultas, anxietas, delirium, hypochondriorum tensio, abdomen tumidum, quod percussum, ut tympanum, resonat, haemorrhagiae passivae, petechiae nigricantes, summa virium prostratio.

§ 586.

Terminatur in salutem, vi vitae auctâ, evacuatione gastricâ, spontaneâ, artificiali; sudore levante; exanthemate miliari; aphthis; salivatione; urinis, tempore, modo, levamine, criticis. Stoll.

§ 587.

In mortem abit: 1) gangraenâ partiali, vel universâ virium resolutione; 2) inflammatione interaneorum, impurâ, malignâ, ut plurimum latente; 3) metastasi ad cerebrum vel medullam spinalem, unde mors convulsiva, apoplectica, aut ad pulmones, unde suffocatio. Stoll.

§ 588.

Inspectiones cadaverum, quae Francisci Homii verba sunt, cerebrum et viscera, praecipue ventriculum et

intestina, inflammata et saepe sphacelata detexerunt. Sic v. c. Morgagnius narrat (Epist. IV, artic. 9) observationem Valsalvae de faeminâ, febris petechialis vi, die septimo, exstinctâ, in qua pulmones turgidi, nigris maculis distincti, a tergo sanguine rubentes, intestina et renes florido sanguine turgentia, lien flaccidus, tunica arachnoïdea autem sero gelatinoso undique tecta reperiebantur. — In puella autem, vicesimum sextum annum agente, cujus historiam descripsit Stollius, in Parte prima *Rationis medendi*, cadaver apertum exhibuit omentum corruptum, sphacelatumque magnâ ex parte: intestina vero hinc inde partim inflammata, partim vero gangraenosa, ventriculi interiorem membranam maculis rubris lenticularibus distinctam, et hinc inde leviter liventem. — Similes observationes habent Donaldus Monrous (*Observations on the means of preserving the health of soldiers*. Vol. I, pag. 238) et Johannes Pringlius, (*Over de Legerziekten*, II D. pag. 236 seqq.) cum quibus conferantur aegrotantium et mortuorum historiae, quas ex Diario viri celeberrimi Frederici Ludovici Bangii, Medici quondam in Nosocomio Fridericiano Hafniensi, excerpsit Josephus Eyerel, *Commentariorum in Maximiliani Stollii Aphorismos*, Tom. IV, pag. 159 seqq.

§ 589.

Quemadmodum magna prudentique cura opus est, ne ab orgasmo pravi et dissoluti sanguinis, aliquando plethoram et inflammatoriam diathesin simulante, decipiamur, sic etiam cautos esse oportet, ne phlogoses partiales impuri generis, pro genuinis habeamus. In iis quippe sanandis, praeter hirudines, quas Quarinus

aliique permittunt, revellentia praesertim et epispastica, intus vero absorbentia, temperantia, corrigentia, adhibenda esse, ipsa morbi natura declarat.

§ 590.

In morbo simplici et ab omni viscerum labe immuni, indicatio jubet: 1) causas, quae putridam febrem excitarunt, vel ad eam disposuerunt, auferre et emendare; 2) remediis uti, vitae debilitatae, humorum crasi vitiatae, solidorum inertiae accommodatis; 3) symptomata mitigare molesta, interdum periculi plena.

§ 591.

Ad exsequendum de causis removendis consilium plurima praesidia faciunt diaetetici generis: aeger in loco elato, conclavi magno, aëre sicco, saepe ventilato, aceti vaporibus aut chloruretis levioribus subinde lustrato, decumbat, stragulis mundis tegatur, aquâ saepius lavetur, extra lectum subinde versetur, luce satis collustretur, potu acidiusculo utatur. In febribus putridis, quae contagio ortum debent, aliquando prosunt diaphoretia, a quorum abusu tamen sedulo abstinendum est. Interdum etiam emeticà vel purgante methodo opus est, ut, quae in canali cibario residet, colluvies putrida aut bilioso-putrida evacuetur.

§ 592.

Ut solidorum robur et humorum crasis corrigantur, remedia adhibentur cardiaca, roborantia, antiseptica, vinum Rhenanum, acida mineralia, cortex Peruvianus, radix Serpentariae, flores Arnicae, Camphora etc., de quorum usu legantur, quae scripsit Stollius.

§ 593.

Quae multum discriminis minantur, symptomata,

aphthae, haemorrhagiae, diarrhoeae, gangraena, alia, apposite ad aegrotantis constitutionem, ad febris gradum et indolem, impugnanda sunt.

§ 594.

Legantur de febre putrida Johannes Huxhamus, Johannes Pringlius, Jacobus Lindius et Guilielmus Grantius: inter nostrates Maximilianus Jacobus de Man, Johannes Veirac, Bernardus Hussem et Petrus van Elsacker.

J. Huxham, Libri de Febribus Cap. VIII, *De putridis, malignis, petechialibus febribus;* Operr., cur. Reichel, Tom. II, pag. 94 seqq.

J. Pringle, Observations on the diseases of the army. Lond. 1752; edit. 7ma 1775. 8vo. Uit het Engelsch vertaald door L. Bicker, Amst. 1785. 8vo.; IIIden Deels VII Hoofdst.; in het IIde Deel, pag. 206 seqq.

J. Lind, Diss. de febre remittente putrida paludum, quae grassabatur in Bengalia anno 1762. Edinb. 1768. 8vo. Vers. Anglic. ibid. 1776. 8vo.

W. Grant, Enquiry etc., l. l. pag. 222 seqq., 228 seqq.

M. J. de Man, Verhandeling over de kwaadaardige rotkoorts, welke in 1771 en 1772 geregeerd heeft te Maurik. Nijmegen 1772. 8vo.

J. Veirac, Over de besmettelijke rotkoorts op de uitgaande Oost-Indische schepen enzv., bekroond door het Zeeuwsch Genootschap. Middelb. 1778. 8vo.

B. Hussem, Antwoord op dezelfde vraag, l. l.

P. van Elsacker, Specimen exhibens febrem remittentem continuam bilioso-putridam, anno 1772 Antverpiae et per plures Belgii ac Europae civitates epidemico impetu grassatam. Antverp. 1774. 8vo.

De febribus exanthematicis.

§ 595.

Exanthematica febris vocatur, quae sociam sibi habet eruptionem aliquam, in exteriore corporis facie prosi-

lientem, cursu acuto et regulari insignem. Utraque igitur affectio, febris et exanthema, nexum habent causalem, ab eodem ut plurimum excitata contagio.

§ 596.

Exanthema vi vocis quidem solas denotat papulas aut pustulas, in cute efflorescentes, adeoque supra eam elevatas; communi autem Medicorum consensu, maculas etiam, colorem cutis mutantes, neque asperam hanc facientes, comprehendit, si caetera hujus morborum generis criteria adsunt.

§ 597.

Intelliguntur quippe istae praesertim in cute efflorescentiae, sive elatae et prominentes, sive planae et tactui insensiles, quae, praegressâ febrili aliquâ accessione, discretis ut plurimum locis, in cute erumpunt, et regulares quasi habent propriae vitae periodos, ita ut instar plantae, e semine germinantis, propullulent, crescant, floreant, maturescant, exarescant, cadant.

§ 598.

Exanthematum febrilium nomine igitur comprehendi non possunt maculae, quae subinde in cute sunt, sine functione aliquâ laesâ, ut v. c. ephelides et naevi materni, neque, quae ad cutim prodeunt, aliorum morborum symptomata aut epigenomena, ut v. c. petechiae et vibices, neque tandem ea, quae critica vocari merentur, ut hydroa febrilis atque miliaria.

§ 599.

Exanthemata autem acuta et essentialia, quae chronicis, symptomaticis, opponuntur, commode ad febrium classem referri, cum illorum natura declarat, tum medendi ratio postulat.

§ 600.

Exanthemata quippe febrilia, licet essentialem suum characterem in peculiari vitae plasticae affectione, a contagio aut aliâ causâ in tenebris latitante excitatâ, reponere videantur, manifestam tamen congestionem activam, vel inflammationem erysipelatosam, excitare et comitem habere consueverunt.

§ 601.

Cum iis autem universa corporis aegrotantis conditio tam arcte cohaeret, ut febris, quae excitatur, vocari possit naturae instrumentum necessarium, quo irritamentum peculiare (haec Burserii verba sunt) nervis, cordi, arteriisque intolerabile, a cunctis secernat humoribus, extrorsum ad cutim protrudat, ab eoque liberetur.

§ 602.

Denique in hoc morborum genere, eruptio, quae in cute apparet, febrisque, quae hanc antecedit, comitatur, subsequitur, eam inter se cognationem habent, ut naturae conveniens medicatio fieri nequeat, nisi utrisque suae tribuantur partes.

§ 603.

Exanthematum sedes in cute est, et quidem in externâ, maxime vasculosâ, quae epidermidi et reti Malpighiano subjacet, corii superficie.

§ 604.

Illi corporis loci, in quibus cutis magis vasculosa, sensilior, et epidermide tenuiori tecta est, ut facies, palpebrae, labia, collum, pectus et interna artuum superficies, exanthematibus maxime obsideri solent; rarius contra capillitium, dorsum, manuum vola et planta pedum.

§ 605.

Sub epithelio etiam et in membrana mucosa, pharyngem, asperam arteriam, oesophagum et tractum intestinorum investiente, non raro exanthematis eruptio locum habet. Rem exempla confirmabunt in Capite de Variolis.

§ 606.

Symptomata exanthematibus propria, vel sunt idiopathica, vel sympathica et universalia.

§ 607.

Idiopathica symptomata sunt, quae in ipsâ cute apparent, maculae, papulae, vesiculae, pustulae. Attentionem quoque meretur, quae his interjacet, cutis integra, e cujus quippe conditione multa doceamur.

§ 608.

Symptomata sympathica in iis praesertim notantur partibus, quae relationem arctiorem sympathicam cum cute habent. Pertinent huc symptomata praecipue catarrhalia et gastrica, tussis v. c., sternutatio, angina, vomitus.

§ 609.

Universalia signa sunt, anorexia, lassitudo, anxietas, morositas, calor fugax, convulsiones, aliique eruptionis futurae prodromi: symptomata quoque ea, quae factâ eruptione, in febre et in functionum praecipuarum natura notantur.

§ 610.

Pleraque symptomata universalia, quae tamen ex consensu quoque originem suam repetunt, factâ exanthematis eruptione, mitigari vel etiam penitus evanescere solent, nisi ab irritamento, per vices demum

expellendo, excitari pergat natura, et novam requirat organorum conspirantium intentionem.

§ 611.

Idiopathica contra symptomata post eruptionem plerumque augentur, tumor v. c., ad erysipelatis speciem, tensio, ardor, pruritus. Praeterea ipsius efflorescentiae forma saepe mutatur, ita ut, quae initio vel maculae vel papulae erant, serius mutentur in vesiculas, pustulas, ulcuscula, crustas, squamas, furfures.

§ 612.

Quapropter, cum febris, tum exanthematis ipsius ratione, inter varia morbi stadia solet distingui.

§ 613.

Pleraque nimirum, quae febrem comitantur, exanthemata acuta definitam stadiorum seriem percurrunt: quorum primum vocatur stadium *opportunitatis*, vel *irritationis;* alterum, stadium *febrile* vel *ebullitionis;* tertium *eruptionis;* quartum *maturationis*, quod in quibusdam periodus *suppurationis* est; quintum *deflorescentiae* vel *exsiccationis;* sextum denique *desquamationis*.

§ 614.

Stadium *opportunitatis* illa periodus dicitur, quae a suscepto veneno, sive contagium sit, sive ignota potentia nocens, ad initium febris extenditur. Hoc autem stadium, quod per quinque vel sex dies durare solet, plerumque cum a Medico, tum ab aegrotante futuro ignoratur.

§ 615.

Stadium *ebullitionis* a febris initio usque ad prima

eruptionis vestigia extenditur, et plerumque trium dierum est. Complectitur hoc stadium ea symptomata, quae exanthematum prodromos diximus.

§ 616.

Reliquorum stadiorum ratio ex ipso nomine, quo insigniuntur, satis apparet.

§ 617.

Singulorum stadiorum duratio quidem diversa est, omnium vero, si simul sumantur, talis esse consuevit, ut febris exanthematica septem ut plurimum, novem aut quatuordecim dierum spatio suum absolvat cyclum.

§ 618.

Febres exanthematicae illud commune habent, quod in homines dispositos, per contagium facillime propagentur. Plantarum instar, crescunt, florent, et semina proferunt, semini, e quo orta erant, prorsus similia.

§ 619.

Terminantur vel in sanitatem, vel in morbos alios, vel in mortem.

§ 620.

In sanitatem abeunt, febris duratione et gradu cum exanthemate congruentibus.

§ 621.

Morbi exanthematum pedissequi, hydrops praesertim sunt, phthisis, hectica febris, morbi locales varii.

§ 622.

In mortem terminari solent: 1) nervoso vel putrido febris exanthematicae charactere; 2) viscerum nobiliorum inflammatione; 3) metastasi varia.

§ 623.

Medendi consilium triplex est. Primo loco, omne removeatur impedimentum, quod liberam et regularem exanthematis eruptionem et cursum turbare possit. Altero loco, ad febris gradum et indolem sedulo attendatur, ut morbo respondeant viriumque rationi. Tertio, fungatur Medicus justo praecipuarum corporis functionum moderamine.

§ 624.

Scripta, quibus de universà morborum exanthematicorum doctrinà bene meruerunt Annaeus Carolus Lorry, Josephus Jacobus Plenkius, Robertus Willan, Thomas Bateman, et Clar. Alibert, in Capite de morbis cutaneis, quos *chronicos* aut *impetigines* vocarunt Medici, indicabuntur.

De Variolis.

§ 625.

Variolarum morbus, Arabum aevo describi coeptus, ut plurimum epidemius est, et contagiosam habet naturam. Solo jam adspectu horrendus, mortalibus valde funestus fuit, neque nostrà aetate strages edere desiit.

§ 626.

Occupat omnem aetatem sexumque, maxime autem pueros, eosque, qui hactenus hunc morbum nondum passi sunt: quo strictior solidorum compages, eo plerumque violentior morbus: hinc pueris, mulieribus, mollibus, laxis facilior: exercitatis, viris, senibus, pejor. Boerhavius.

§ 627.

Morbi contagium cum materiae perspirabili, e corpore variolantis egressae, tum aëri exspirato, tum denique lymphae et puri, quae in pustulis secernuntur, inesse videtur. Stoll.

§ 628.

Contagium aëri inhaerens, a pulmonibus, ore, naribus, oesophago, ventriculo, intestinis suscipitur, et in homine praedisposito morbum variolosum generat. Contagium tamen, utut idem, non easdem semper variolas gignit, sed varias, vario discrimine: variolae enim diathesin corporis et anni sequuntur. Stoll.

§ 629.

De sede variolarum, post Dominicum Cotunnium, recentiores scriptores accuratius exposuerunt. Occupant quippe externam corii superficiem, et singularem exhibent vasculorum, quibus instructae sunt, distributionem, licet epidermidi quoque et corpori mucoso, quod a Malpighio dictum est, notabiles mutationes contingant. — Partes autem interiores, pustulis variolosis obsessas, post Avicennam, descripserunt Fernelius, Horstius, Bartholinus, Peyerus, Boerhavius, Meadius alii: contrariam tamen sententiam professus est Cotunnius.

D. Cotunni, De sedibus variolarum Syntagma. Vienn. 1771. 8vo. pag. 20, 31, 87, 127, 151, 157, 202 seqq.

H. A. Wrisbergii Commentatio de variolis, quibus internae corporis humani partes contaminari dicuntur (cum iconibus); in Commentat. medici, physiologici, anatomici et obstetricii argumenti etc. Vol. I. Gotting. 1800. 8vo. pag. 52 seqq.

A. N. Gendrin, l. l. Tom. I. pag. 598 seqq.

A. A. Sebastian, Over de gesteldheid der bloedvaten in de huid van poklijders; in het Tijdschrift voor Natuurl. Geschie-

denis en Physiologie, door J. van der Hoeven en W. H. de Vriese, I D. pag. 101 seqq.

§ 630.

Praecipua variolarum symptomata haec sunt. A rigore et insequente calore perpetuo incipit febris acuta, quam comitantur oculorum splendor, facies tumidula, capitis, dorsi, artuum dolores, anxietas circa praecordia, foetor oris specificus, fauces dolentes, nausea, vomitus, ingens in sudores propensio, interdum etiam stupor, somnolentia, convulsio. Postquam febris vage remittens, per tres vel quatuor dies duravit, puncta parva, rubra, primo in facie, mox in dorso manuum et in brachiis, dein in trunco et artubus inferioribus, apparent, et in papulas elevantur. Interea mitescunt symptomata, quin plena subinde apyrexia fit, nisi eruptio per vices fiat, et prodeuntibus ultimis, primae incipiant inflammari. Exanthematis eruptione intra biduum triduumve absolutâ, febris maturatoria incipit. Magnitudine et numero pustulae continuo augentur, valde rubescentes, magis magisque elevatae; inflammantur; cutis tenditur; dolor et calor obtinet; faciei tumor maximus est; oculi tumentibus palpebris clausi sunt; delirium; agrypnia; convulsio; angina varia; dyspnoea; salivatio. Durant haec plerumque quatuor aut quinque dies, ita ut octavo, a primo ortu, die suppuratio adsit. Nunc pustulae jam purulentae quotidie augentur, dein maturescunt, albescunt, flavent, ac tertio quartove hujus stadii die, qui ab exordio primae febris undecimus est, rumpuntur, vel etiam, integritatem servantes, sensim exarescunt deciduntque; atque, in variolis saltem interstinctis vel discretis, die decimo quarto vel decimo quinto ut plurimum, funditus pereunt. Sydenham et Stoll.

§ 631.

Symptomata cum discretis communia habet et illa variolarum species, quas confluentes appellamus, nisi quod hic atrociora sint omnia: febris scilicet, anxietas atque aegritudo, vomituritio et alia immanius affligunt; quibus signis Medico sagaci, etiam ante eruptionem, confluentes se produnt. Sudorum loco, diarrhoea eruptionem praecedere solet: maturius quoque eruptio locum habet, nisi eam differunt causae accidentales: eruptione factâ, febris vehementia pergit: frequens notatur salivatio et diarrhoea. Sydenham.

§ 632.

Ad ista autem, quibus variolae genuinae discernuntur, criteria eo accuratius attendendum est, quo frequentiores sint variolae spuriae. Ad hunc locum pertinent variolae *vesiculosae*, *serosae*, *lymphaticae*, *acuminatae*, *siliquosae*, tum etiam mitior morbi forma, quae *varioloidum* nomine insignitur. *Varioloides*, quae in hominibus, post variolarum vaccinarum insitionem, passim occurrunt, aliquam morbi genuini speciem prae se ferunt, ab hoc autem distinguuntur absente febre suppuratoriâ. *Varicellae* autem, quo communi nomine caeterae species insigniuntur, eruptionem habent praecocem, simultaneam, inordinatam; formam insolitam, magnitudine saepe variolas genuinas superantem; symptomata mitiora, cursum brevissimum, omnem febrem fere absentem, exsiccationem promptissimam.

§ 633.

Quod ad prognosin attinet, Stollio monente, de stadio *ebullitionis* haec valent:

Est aliqua durationis varietas, pro varietate epidemiae, vehementiâ morbi, temperie aegri: quo brevius ex sua natura, eo gravior morbus; gravis quoque si triduum superet.

Dolor lateris pleuriticus, in febre primaria, malus.

Artuum dolores rheumatici, assidui, graves, pravum genus variolarum praesagiunt.

Tamen cephalalgia, cardialgia, dorsi lumborumque dolor est etiam in benignis.

§ 634.

In stadio *eruptionis* haec notanda sunt:

Quo febris variolosa mitior, eo eruptio parcior, eo lenior status inflammationis, suppurationis.

Quo lentius erumpunt pustulae, quove exactius ordinem observant, eo morbus levior.

Eruptio confertim, tumultuarie, ordine insueto, mala.

Quo remissio manifestior, aut plane apyrexia a prima eruptione, eo melius.

Quo cutis mollior, eo variolae facilius prodeunt: hinc infantes et puellae prae adolescentibus virisque morbum ferunt.

Mala est cardialgia, quam eruptio non tollit.

Vomitus, diarrhoea cum dolore ventris, post eruptionem valde mala.

Valde malae petechiae cum variolis. Stoll.

§ 635.

De stadio *maturationis* ita statuendum est:

Quo pustulae grandiores, rotundiores, magis acuminatae, magis a se invicem distantes, sibi invicem similiores, eo melioris notae.

Quo materies pustularum pus magis blandum et perfectum refert, eo melius.

Quo pauciores, magis separatae, mox majores, plus a facie remotae, candidiores, dein flavae magis pustulae, quoque tardius procedunt, eo meliores.

Quo plures, magis intricatae, minores singulae, magis in facie haerentes, fuscae, nigraeve; citiusque incedunt, eo pejores.

Quo materies pustularum ichorem gangraenosum plus refert, eo pejus.

Quo spatium inter pustulas magis rubet, calet, tenditur, tumet, circa tempus abcessus, eo melior spes, ob circulationem hic remanentem.

Quo idem plus pallet, vel fuscum evadit, eo pejus; angina sequitur lethalis aut peripneumonia; nisi salivatio, vel ingens tumor manuum pedumve accesserit: ratio est liquorum hic impedita, hinc ad interiora aucta, circulatio.

Si in locis inter pustulas liberis, maculae purpureae, lethalis gangraena designatur. Stoll.

§ 636.

Hinc sequitur, in curatione praesertim attendendum esse cum ad febris gradum et indolem, tum ad regularem exanthematis cursum.

§ 637.

Ut febris, quâ exanthema eliminatur, moderata sit, nec vehementius, quam oportet, concitetur, pustulae autem ipsae neque justo maturius, neque copiosius quam par est, erumpant, in facie praesertim, aut aliis locis, capiti vicinis, ea praesidia adhibenda sunt, quibus vis morbi mitigetur, cum eâ tamen, ut Rhazes jam monuit, moderatione, ne calor naturalis extinguatur.

§ 638.

Quem finem assequimur: 1) victu tenuissimo, vegetabili; 2) potu diluente, blando, subacidulo; 3) medicamento aperiente, diluente, assiduo, magnâ copiâ ingesto; 4) regimine frigidiusculo; 5) clysmate, balneo pedum, crurum, femorum, bis de die repetito, horum fotu tepido continuo; 6) apparatu antiphlogistico, si nimio impetu fuerit morbus, si mere valideque inflammatorius, cum aut sine topicâ visceris cujusdam inflammatione.

§ 639.

Subinde opus est venae sectione, quam in miti morbo inutilem, in mitissimo aut maligno nocivam, in gravi repetendam initio, praecepit Tissotus, donec ex pulsu, lenitate cutis, et remissione symptomatum noscas, resolutam esse phlogisticam diathesin, liberatas partes inflammatas, mollitam cutim; decurrente morbo toties instituendam, quoties verae inflammationis resurgit metus. Conferantur praecepta Sydenhami, Boerhavii, Swietenii, Meadii, Burserii, aliorum.

§ 640.

Si contra febris torpeat nimis et praeter modum cunctetur inefficax, opus est aliquando balneo tepido, vel cardiaco quodam remedio.

§ 641.

Similiter ad febris indolem attendendum est in medendi consilio. Si causae praegressae, ipsa epidemia constitutio, symptomata in aegrotante obvia, purgantium frigidorum vel etiam emeticorum usum suadeant, utique haec remedia, ut usus probavit, tempestive et naturae convenienter administranda sunt.

Legatur Richardi Meadii ad Johannem Freindium *de purgatione in variolis* epistola. De cauto autem emeticorum in variolis usu optime scripsit Huxhamus.

§ 642.

Suppurationis tempore plerumque curandum est, ut alvus rite respondeat, ut victus paulo plenior sit, ut facilis puri ad exteriora exitus concedatur, et ut remedia antiseptici, subinde etiam cardiaci et roborantis generis sint. De acidorum mineralium cum mucilaginosis conjunctorum praestantiâ legantur Tissotus et Stollius. Aliquando etiam vinum Rhenanum, cortex Peruvianus, Camphora et alia remedia excitantia conveniunt, tunc praesertim, quando pustulae nimis humiles et depressae sunt, circulo rubro carentes, cute circumpositâ pallente, aut quando rumpuntur et confluunt, vi vitae simul languente. De opiatis, quibus frequenter usi et abusi sunt Rhazes, Sydenhamus, Haenius, alii, praeclare praecepit Tissotus.

§ 643.

Quum tamen morbus interdum plus valeat arte doctâ, summa cura adhibenda est in rite administrandâ methodo prophylacticâ, quam casus invenit, Jennerus patefecit, millenorum a morbo integritas comprobavit.

§ 644.

De Arabum meritis in describendo morbo varioloso praeclare commentati sunt Martinus Listerus et Johannes Freindius. Ipsius autem Rhazis de variolis et morbillis commentarium, ex arabica lingua latine redditum, suo de utroque morbi genere libro adjunxit Richardus Meadius, cui Codicis Arabici, in Bibliotheca Leidensi servati, exemplar roganti transmiserat Boerhavius.

M. Lister, De variolis; in Octo Exercitat. medicin. de quibusdam morbis chronicis. Amst. 1698. 8vo. pag. 150 seqq.

J. Freind, Historia Medicinae a Galeni tempore usque ad initium seculi decimi sexti; in Operr. Omn. Tom. I. L. B. 1750. 8vo. pag. 304 seqq.

§ 645.

Inter optimos autem de morbo varioloso scriptores primum locum meretur Sydenhamus, cujus adeo accurata est variolarum descriptio, ut, judice Boerhavio, decies legi mereatur, quique praeclara simul de morbo sanando dedit praecepta. Sydenhami doctrinam tuiti sunt et perfecerunt, in patria nostra, summus Boerhavius atque Swietenius, et qui utrisque antiquior est Johannes Baggaart, Medicus Medioburgo-Zelandus; in Angliâ Freindius, Huxhamus, Meadius; in Galliâ Tissotus; in Italiâ Burserius; in Germaniâ Johannes Gothofredus Bergerus, Maximilianus Stollius, Christophorus Ludovicus Hoffmannus, alii; in Suediâ Nicolaus Rosenius et Petrus Jonas Bergius. Cum Sydenhami tamen lectione repetitâ conjungatur diligens Mortoni studium, qui, licet aliam saepissime medendi viam ingressus sit, ad Sydenhamum tamen proxime accessit, tum aetate, quâ vixit, tum doctrinae praestantiâ, quâ excelluit, tum denique observandi diligentiâ, quâ morbos populares indagavit.

Th. Sydenham, Observationes medicae circa morborum acutorum historiam et curationem, Sect. III. Cap. II et III; Sect. V Cap. IV.

R. Morton, Pyretologia etc., Cap. VII seqq.; in Operr. Medic., Venet. 1733. 4to. pag. 374 seqq.

J. Baggaart, De Kinderpokken en Maselen, naar haren aard, oorzaken, kenteekenen, voorteekenen en genezing beschreven; met wederlegging van 't oude gevoelen van de lijders bijna te doen verstikken door 't sterk uitbroeijen en heete levenswijs.

Amst. 1710. 8vo. (Prior editio, titulo instructa, De waarheid ontwerd van voor-oordeelen etc. prodiit Medioburgi, anno 1696).

H. Boerhave, De cognosc. et curandis morbis, aphorism. 1379 seqq., et in Epistolis ad J. B. Bassand. Vindob. 1778. pag. CCXLIV seqq.

R. Mead, De Variolis et Morbillis Liber etc. Londin. 1747. 8vo.

J. Huxham, Dissertatio de Variolis; in Operr. physico-medic. Tom. II, Lips. 1784. pag. 121 seqq.

S. A. D. Tissot, Epistola ad Hallerum de variolis, apoplexia et hydrope. Lausann. 1761; in Epistolis medico-practicis, Lausann. 1770. 8vo. pag. 183 seqq.; vel in Sandifortii Thesauro Dissert. Vol. II. pag. 1 seqq.

J. G. Berger et J. T. Neucrantz, De usu venae sectionis et clysterum in curatione variolarum, Vitemberg. 1711; in Halleri Diss. medico-practic. Tom. V pag. 603 seqq.

N. Rosen et P. J. Bergius, De Variolis curandis Dissertatio, Upsal. 1754; in Halleri Diss. medico-practic. Tom. V. pag. 583 seqq.

De Morbillis.

§ 646.

Morbilli, Meadio monente, eandem cum variolis originem sortiti, in iisdem gentibus nati, atque eodem modo, contagione nimirum, in dissitas regiones sparsi sunt. Plerumque epidemio more grassantur, et pro variâ anni tempestate, suum habent ortum atque occasum, ita ut, Sydenhamo observante, cum anni exordio ut plurimum subnascantur, circa vernum aequinoctium vigeant, pedetentim aestivo recedant.

§ 647.

Caeterum morbilli peculiare sunt et distinctum exanthematum genus, quod febre ad cutim summam propellitur, papulas et maculas rubras referens, cum

signis catarrhi et destillationis, quae praecedunt et comitantur, adeo insignibus et perpetuis, ut pro febre catarrhali exanthematicâ a nonnullis reputatum sit. Burserius.

§ 648.

Prodromos morbi satis accurate indicavit Rhazes, antiquissimus morbillorum interpres. Rubedo oculorum, totius corporis gravitas, oscitatio frequens, dolor in gutture et pectore, cum quadam spiritus difficultate, et faucium angustia; item ariditas oris, crassities salivae, raucedo vocis, cephalalgia, gravedo capitis, inquietudo ânimi, taedium, nausea, et moeror, magis urgent in morbillis, quam in variolis.

§ 649.

Cum febre assiduâ, haec et alia symptomata, palpebrarum pruritus praesertim, oculi fulgentes et lacrymantes, coryza et sternutatio frequens, subinde etiam somnolentia perpetua, ingravescunt ut plurimum ad quartum usque diem, quo tempore plerumque circa frontem et reliquam faciem maculae parvae rubrae, pulicum morsibus persimiles, prodire incipiunt, quae tam numero quam magnitudine auctae, in racemos collectae coalescunt, et faciem maculis rubris majusculis variae figurae, interstinguunt. Quae quidem maculae rubrae, e parvulis quibusdam papulis rubris haud longe ab invicem dissitis, supra cutis superficiem paulum elevatis, conflantur, quarum protuberantia, digito leviter admoto, tactu potest deprehendi, licet oculorum longius remotorum aciem fere effugiat. A facie, quam primo solam occupant, sensim ad pectus ventremque, crura deinde ac tibias se diffundunt hae maculae; licet truncum atque artus rubore inficiant

tantum, nullâ eminentiâ sensibili cutis aequabilitatem transgressae. Sydenham.

§ 650.

Eruptione absoluta, vomitus (qui indicare solet eruptionem futuram) cessat, reliqua continuantur, auctâ tussi et spirandi difficultate. Stoll. — Ideo ab eruptione morbillorum, ut Sydenhamus notavit, non perinde deliniuntur symptomata, atque variolarum.

§ 651.

Die autem sextâ maculae circa frontem et faciem pallescunt; facies ipsa detumescit et, cuticulâ arente ac disruptâ, asperatur. Octavâ in reliquo etiam corpore diffugiunt, sudore universali, aut urinis multis subsequentibus, aut etiam alvi fluxu; qui plerumque naturam levat. Nonâ aeger optime habet, et plerumque a febre vacuus est. Facies, pectus, artus et reliquae partes quasi farinâ conspersae videntur, frustulis disruptae et siccatae epidermidis secedentibus, et pruritum quidem, non vero labem aut vestigium ullum relinquentibus. Burserius. — Aliquando tamen maculae et papulae morbillosae insensili modo evanescunt, ita ut vulgus, quae Sydenhami vox est, easdem introverti affirmet, licet revera cursum a naturâ destinatum absolverint.

§ 652.

Universus itaque morbi cursus docet, cum a variolis, tum a scarlatinâ differre morbillos. Rhazes, Riverius, Sennertus, Meadius, Ellerus, morbillos et variolas inter se maxime affines habuerunt. Mortono contra atque Watsono ea visa est morbillorum cum scarlatinâ convenientia, ut utrumque morbum solo gradu, non naturâ, differre putaverint.

§ 653.

A scarlatinâ autem (cum variolis enim haud adeo confundi possunt) morbilli in his fere discrepant: 1) quod ipsi supra cutim se efferunt; 2) quod affectus catarrhales modo memorati illorum veluti proprii et perpetui comites sunt; 3) quod spatia morbillis interjacent alba, oblonga, quadrata, multangula; dum contra in purpurâ scarlatinâ plana, aequalis et continuata rubedo cutim ferme totam, aut maculis saltem latioribus, et erysipelatis similibus, eam inficit; 4) quod epidermis farinae instar secedit et decidit, in scarlatina vero per frusta majora abscedit; 5) quod loco tumoris leucophlegmatici, qui scarlatinae saepe supervenit, in morbillis alii notentur morbi secundi, peripneumonia, bronchitis, ophthalmia, otorrhoea etc. Burserius.

§ 654.

Affinitatem vero morbillos inter et scarlatinam docere videntur *rubeolae*, quae inter utrumque exanthema medium fere occupant locum, cum scarlatina tamen proxime convenientes. Coryzae et symptomatum catarrhalium loco, praegressa aut comite anginâ, maculae notantur majores, parum supra cutim se elevantes, non purpureo sed laterum colore instructae, margines inaequales serratos habentes, solitariae et sine ordine efflorescentes, nec magnitudine increscentes, neque inter se confluentes, post paucos dies, non furfuris specie, sed per frusta majora decidentes.

A. J. Orlow, Programma de rubeolarum et morbillorum discrimine. Regiomunti 1785. 4to.

E. L. Heim's Bemerkungen über die Verschiedenheit des Scharlachs, der Rötheln und Masern, vorzüglich in diagno-

stischer Hinsicht; in Hufeland's Journal der praktischen Heilkunde für März 1812.

§ 655.

Quod ad prognosin attinet, haec de morbillis notanda sunt:

Omni prorsus periculo vacant morbilli, si perite tractantur. Sydenhamus.

Morbilli opportuno et regulari tempore exorti et prominentes bene ominantur. Contra praematura eorum eruptio, aut justo tardior suspecta haberi debet. Burser.

Macularum nimia rubedo, mala; pejor vero earum livor.

Subitanea retrocessio macularum cum delirio, ferme lethalis.

Vomitus perseverans post eruptionem, periculosus.

Mala febris die nono, et serius; est enim peripneumonica.

Tussicula post morbum diuturna, vespertina, nocturna, cum raucedine et febricula, latentem peripneumoniam, et phthisin superventuram docet; nisi cito et potenter juves per antiphlogistica.

Ut plura funera in variolis, quam post easdem, ita plura post morbillos, quam sub iisdem, et aeque multa fortasse, ac in variolis.

Periculosus morbus, in peripneumoniam, pleuritidem pronis, haemoptoïcis, tussiculosis, asthmaticis.

Cave, ne consuetam exanthematis evanescentiam habeas pro ejusdem morbosâ retrocessione. Stoll.

§ 656.

In morbo simplici, eâ medendi ratione opus est, quam febris postulat inflammatorio-catarrhalis. Remedia diluentia, tussim lenientia, moderatae perspirationi

cutis proficua, principem locum tenent. Quapropter Stollius commendavit quietem in lecto, sub levi stragulo, in aëre temperato; victum tenuem farinosum; potum frequentem ex althaeâ, malvâ, salebe, hordeo, oryzâ, similibus; emulsa nitrosa crebro tepideque propinata; vapores ore haustos; balnea pedum, clysmata.

§ 657.

Quum autem peripneumoniam secum fere conjunctam ferat hic morbus, illa autem symptoma grave sit et valde funestum, aliquando opus esse constat apparatu antiphlogistico toto, subinde generoso. Venae sectio autem, eo in casu, non solum ante aut mox post eruptionem instituenda est, sed etiam post morbillorum discessum, vel in tenerrimis infantibus, Sydenhamo monente, eâ copiâ, quam aetas viresque indicant, celebrari aut repeti potest.

§ 658.

Interdum tamen gastrica, biliosa, nervosa, putrida febris morbillosae natura longe aliam postulat medendi rationem.

§ 659.

Morbillorum insitionem sanguine infecto faciendam, anno 1758, primus commendavit Franciscus Home, celeberrimus Scotiae Medicus. Modum instituendi hanc prophylaxin accurate tradidit Josephus Eyerel (Tom. IV *Commentariorum in Stollii Aphorismos*), illius autem commoda auctor ipse his verbis recensuit: »Die sexto plerumque febricula sese monstrat, mitissimâ tussiculâ, sine insomnio et inflammatoriis symptomatibus, concomitante; et neque febre hecticâ, neque tussi, neque oculis inflammatis succedentibus.“

§ 660.

In describendis morbillis inter nostrates operam posuerunt Forestus, Tulpius, Boerhavius. Praeter Sydenhamum, Mortonum et Meadium, legi praecipue merentur Burserius, Stollius, Rosenius a Rosenstein. Conferatur etiam Dissertatio Doct. Themmen et Commentatio Cl. Thuessink. Quid in hoc morbi genere praestiterint Arabes, docebit Christianus Godofredus Grunerus.

C. G. Gruner, Morborum antiquitates, Vratislaviae 1784. 8vo. pag. 54 seqq.

N. Rosen von Rosenstein, Anweisung zur Kenntniss und Cur der Kinderkrankheiten; aus dem Schwedischen übersetzt etc. von J. A. Murray. 2te Aufl. Götting. und Gotha 1768. 8vo. pag. 222 seqq. Hollandsche Vertaling van E. Sandifort; 's Gravenhage 1768. 8vo.

C. J. Themmen, Diss. exhibens historiam epidemiae morbillosae. Groning. 1817. 4to.

E. J. Thomassen a Thuessink, Verhandeling over de Mazelen. Groning. 1828. 8vo.

De Scarlatinâ.

§ 661.

Scarlatina est febris acuta exanthematica, maculas intense rubentes, difformes, easque latas et facile coalescentes, in epidermidis desquamationem abeuntes proferens, organa deglutitionis non raro impetens, naturam inflammatorio-gastricam prae caeteris referre solita.

§ 662.

Praeviâ quâdam lassitudine, febris ab horripilatione, frigore, calore et vomitu bilioso ordiri solet, cum cute aridâ et valde calente, anxietate, faucium ardore et

dolore conjuncta, deglutitionem praesertim laedente. Quae singula symptomata, morbi exordio propria, versus noctem, cum febre crescente augentur.

§ 663.

Die secundo aut tertio facies intumescit, et maculae intensius rubrae, crebrae, primum parvae et multiformes, mox latiores, confluentes, et in majus sensim spatium expansae eam totam contegunt; deinde in dorso, pectore et demum artubus eaedem erumpunt, et quidem satis amplae, ut brevi universa fere cutis scarlatino colore rubeat. — Quacumque autem ratione rubore isto, sive sparsim, sive universim cutis afficiatur, planus is est, laevis, non asper, et pressus praesertim inter initia, albicat, etsi, remotâ pressione, mox priorem colorem recipiat; nec valde cutim ipsam attollit. — Tum manuum etiam digiti sic tument aut tenduntur, ut non nisi difficulter inflecti possint. Interea tamen, detruso ad exteriora morbi fomite, febris et symptomata omnia insigniter mitigantur, vel etiam omnino decedunt. Burser.

§ 664.

Postquam rubor ejusmodi ad duos, ad tres, aut quatuor dies, perstitit immutatus, paulatim minuitur; facies detumescit et concidit; cuticula fere tota cum notabili pruritus molestia secedit, imo quandoque in magna frusta et per integras lacinias, in manibus et pedibus potissimum, separatur. Burser.

§ 665.

Morbi cum prognosis, tum curatio, plerumque a febris conjunctae naturâ repetenda est. Haec, Frankio monente, frequentius *inflammatoriam*, interdum *ga-*

stricam, nonnunquam vero malignam prorsus seu *nervosam* agnoscit indolem. Inter symptomata periculi plena, quae ad morbum graviorem subinde accedunt, referri merentur phrenitides, peripneumoniae, angina gangraenosa, convulsiones, tum etiam, cuticulae secessum excipientes, hydrops aut diarrhoea.

§ 666.

In benignâ scarlatinâ, multâ medicinâ opus non est; sola natura eam curat, adjuta paucis: praepostera medicina malignitatem saepe homini infert et mortem. Haenius.

§ 667.

Si aeger plethoricus sit, febrisque vehementior, aut grave aliquod symptoma capitis, faucium vel pectoris urgeat, cum ante, tum post eruptionem, instituere licet venae sectionem, quae perperam saepe negligitur, ob inanem retrocessionis metum. Saepe etiam, sugente hirudine, scarificatu cruento, rubefacientibus aliisque praesidiis opus est, ad symptomata vel auferenda, vel mitiganda. Conferri merentur, quae de mittendo sanguine scripsit Johannes Freindius.

§ 668.

Ad moderandum sanguinis impetum, ad minuendum ardorem summum, ad solvendam spasticam, quae ab orgasmo pendet, cutis stricturam, ad promptiorem et liberiorem faciendam exanthematis eruptionem, praeclare facere possunt lotiones cum aquâ frigidâ, a Jacobo Currie aliisque Medicis commendatae.

J. Currie, Medical reports on the effects of water, cold and warm, as a remedy in fever and other diseases. Liverpool 1798. 8vo.

A. Frölich, Over het uitwendig gebruik van koud water ter matiging der koorts; uit het Hoogduitsch, door C. van Eldik. Gorinchem 1823. 8vo.

J. H. Kopp, Beobachtungen im Gebiete der ausübenden Heilkunde. Frankf. a. M. 1821. 8vo. pag. 176 seqq.

§ 669.

Praeter remedia antiphlogistica, diluentia, temperantia et demulcentia, aliquando conveniunt medicamenta alvum laxantia, aut blande diaphoresin promoventia, nitrosa praesertim et sambucina. De laxantibus legatur Burserii paragraphus sexagesima septima, comparanda cum iis, quae nostrâ aetate praecepit Doct. Stieglitz.

§ 670.

In scarlatinâ malignâ, quale nomen morbus interdum, vel naturae vel artis culpâ, meretur, medendi methodus componenda est ad febris indolem, et ad universam hominis aegrotantis naturam. Saepe commendari meretur acidorum mineralium usus, si pulmones et intestina permittunt.

§ 671.

De scarlatinâ legantur praesertim Thomas Sydenhamus et Johannes Baptista Burserius: ex recentioribus Israël Stieglitz et Johannes Christianus Reilius. Praeterea tamen inter auctores, qui libros singulares de hoc febris exanthematicae genere scripserunt, laude digni sunt Johannes Storchius et Marcus Antonius Plencisius.

T. Sydenham, Observat. circa morb. acut. historiam etc. Sect. VI Cap. II.

J. Storch, Practischer und theoretischer Tractat vom Scharlachfieber. Gotha 1742.

M. A. de Plenciz, Tractatus de Scarlatinâ etc. ab auctore

ipso novis observationibus auctus. Viennae 1780. 8vo. (prior editio tractat. tertius fuit *Operum medico-physicorum;* Vienn. 1762. IV Part. 8vo.)

J. B. Burserii Institut. Medic. pract. Vol. II pag. 48 seqq.

I. Stieglitz, Versuch einer Prüfung und Verbesserung der jetzt gewöhnlichen Behandlungsart des Scharlachfiebers. Hannover 1806. 8vo.

J. C. Reil, Ueber die Erkenntniss und Cur der Fieber. V Bd. Halle 1815. pag. 97 seqq.

§ 672.

Scarlatinam epidemio more in patriâ nostrâ observatam, post Forestum, memorarunt Antonius de Haen, Lambertus Bicker, Doct. Moll, Themmen, alii.

P. Foresti Observation. Libr. VI, obs. 2; ubi mentionem fecit anginae malignae, a Medico Amstelodamensi Tyergio observatae.

A. de Haen, Theses de febrium divisione etc. Divis. VI, § II; edit. 2dae pag. 25 seqq. Cum quibus conferantur, quae elaboratius de hoc morbi genere scripta sunt in *Rationis medendi continuatae* Tom. I, Cap. VII, pag. 96 seqq.

L. Bicker, in Verhandelingen van het Bataafsch Genootschap der Proefondervindelijke Wijsbegeerte te Rotterdam. D. IV, pag. 243 seqq.

Moll, Diss. exhibens delineationem febris scarlatinae anginosae, quae exeunte potissimum anno 1780, Harderovici observata est. Harderov. 1781. 4to.

Themmen, Historia epidemiae scarlatinosae Groninganae ann. 1785 et 86. Groning. 1787. 4to.

De febre intermittente.

§ 673.

Febris, quae ita accedit deceditque, ut inter unam alteramque accessionem vera et perfecta notetur *intermissio*, sive symptomatum febris absentia, *intermittentis* nomine insignitur.

§ 674.

Accessiones, per quas febris fit, *paroxysmi* dicuntur; earum ordo, *typus;* tempus a febre vacuum *apyrexia* vocatur. Tempus autem, quod ab incipiente paroxysmo extenditur ad paroxysmi sequentis initium, *periodus* nominatur.

§ 675.

In quacumque verâ et legitimâ febre intermittente tria paroxysmi tempora sive stadia notantur. Primum stadium, a quo incipit, tempus *frigoris*, sive *principii;* alterum *caloris*, sive *vigoris;* tertium *sudoris*, vel *declinationis* appellatur.

§ 676.

Orditur paroxysmus a crebrâ oscitatione et pandiculatione, a gravitate, lassitudine et debilitatis sensu, a frigore, pallore et livore, ungues in primis, apicem nasi, labia digitosque occupante. Accedunt dorsi et artuum dolores; tremor, praesertim maxillae inferioris; anxietas; respiratio difficilis cum sensu constrictionis; nausea, vomitus; pulsus citatior, debilis, parvus, subinde solito lentior; cutis anserina; sitis; urina aquosa, tenuis; animus tristis et meticulosus.

§ 677.

Hunc statum excipit alter, incipiens cum calore, rubore, respiratione forti, magnâ, liberiore; anxietate minori, pulsu majori robustiorique, siti magnâ, dolore artuum et capitis magno, urinâ plerumque rubrâ: quale stadium respondet summo febrium continuarum vigori. Stoll.

§ 678.

Notant tertium stadium sudores largi, universales;

remissio omnium symptomatum; copiosa urinae, sedimentum lateritium deponentis, excretio; lassitudo, debilitas, apyrexia, somnus.

§ 679.

Inter causas praedisponentes, praeter morbosam generis nervei sensilitatem, debilitas intestinorum praecipue accusanda videtur.

§ 680.

Causae excitantes innumerae sunt: aër humidus, frigidus; subita caloris mutatio; alimenta, quae copiâ vel indole peccant; animi pathemata deprimentia; excretiones turbatae; miasma paludosum, aliaeque potentiae nocentes, sanitati infestae.

§ 681.

Causa proxima in nervis vitae organicae potissimum residere videtur. Liquidi nervosi inertiam jam accusavit Boerhavius, probavit et illustravit Swietenius. Fermentum febrium intermittentium (quae Francisci Tortii verba sunt) non sanguini primarie inest, sed vasis lacteis admiscetur, et factà materiae accumulatione, paroxysmum excitat.

§ 682.

A typo distinguuntur febres intermittentes in *quotidianas*, *tertianas*, *quartanas*, adeo constanter recurrentes, ut natura humana, quae Werlhovii vox est, in horographicos astronomicosque circulos jurasse videri possit.

§ 683.

Quamvis de hoc paroxysmorum ordine judicari demum possit, si aliquoties accessionis impetum, stato aliquo tempore, absolverit febris, quasdam tamen

notas, ex quibus protinus a primo insultu, augurari possimus typum morbi futurum, indicavit Galenus; si nempe mite frigus sit, et brevis exiguusque sequatur calor, febrem *quotidianam* fore; *tertianam* vero, si magnus calor exardescat; *quartanam* denique, ubi cum magno frigore accessio incipiat, et vehementem longumque calorem trahat. Qualis tamen symptomatum ratio eo magis modificatur, quo diutius duraverit febris.

§ 684.

Est autem febris *quotidiana*, quae singulis diebus similem accessionis impetum habet, ita ut in quovis nychthemero locum habeant paroxysmus et stadium apyrexiae.

§ 685.

Febris quotidiana a tempore, quo paroxysmus invadit, distingui solet in *matutinam* sive *diurnam*, et in *vespertinam* sive *nocturnam*. Quae vesperi aut noctu accedit, plerumque longior esse, et non parum a reliquarum intermittentium indole, si communia spectentur symptomata, discrepare solet, quapropter *quotidianae spuriae* nomen saepe meretur. Burserius.

§ 686.

In intermittente *tertiana* paroxysmus tertio quovis die, id est, diebus alternis, redit deceditque, sic ut inter unum alterumque dies integer excurrat a febre vacuus. Burserius.

§ 687.

Cum accessiones quarto quovis die ordinate fiunt, et vacuum duorum dierum intervallum relinquunt, tunc febris *quartana* intermittens est. Burser.

§ 688.

Singulae hae intermittentium febrium species sive formae, quas nomen suum sortitas esse constat a tempore, quod ab unius paroxysmi initio ad initium subsequentis excurrit, haud unâ ratione duplicari possunt. Quae sane paroxysmorum *reduplicatio*, ita statuente Sydenhamo, nonnunquam a materiae febrilis excessu activitateque nimiâ producitur, quo in casu paroxysmus *adventitius* antevertit *primarium*; nonnunquam etiam a virium prostratione aut pravâ medicatione, paroxysmi vigorem retundente, pendere videtur, quo in casu paroxysmus adventitius primarium insequitur, mitius insuper, neque ita prorsus diu, atque alter, aegrum affligit.

§ 689.

Quotidiana duplex adesse dicitur, si intra unius diei spatium, sive nychthemerum, bis paroxysmus febrilis recurrit. Scire autem licet, raro in hac inter unam atque alteram accessionem, veram intercedere integritatem. Burser.

§ 690.

Intermittens *tertiana duplex* habetur, si accessiones quotidie fiunt easque intermissio subsequitur, ita tamen, ut alternis solum diebus, tam horâ invasionis, quam circuitus gradu et duratione, similes inter se reperiantur. Burser.

§ 691.

Interdum eo die, quo tertianae simplicis accessio redire deberet, unius loco, binae contingunt accessiones, intermedio die libero relicto: hanc Sauvagesius *tertianam duplicatam* vocavit. Burser.

§ 692.

In *quartana duplici* accessiones duobus primis diebus obtinent, tertium diem apyrexiâ notante, sic tamen, ut accessioni primi diei accessio quarto die rediens, secundi vero ea, quae quinto die recurrit, similis sit, atque ad amussim respondeat. Burser.

§ 693.

Triplex autem *quartana* ea est, in quâ singulis diebus, quotidianae in modum, accessiones habentur, ita tamen sibi respondentes, ut primae quarta, secundae quinta, tertiae sexta aequalis sit. Burser.

§ 794.

Si quarto quovis die non semel, sed bis accedat paroxysmus febrilis, utrumque intermedium diem apyrexiâ notante, tunc *quartana* dicitur *duplicata*. Burser.

§ 695.

Quae longiores circuitus habent, febres intermittentes *quintanae*, *sextanae*, *nonanae* etc., quamvis rarissimae sint, multorum tamen, qui fide digni sunt, Medicorum testimonio comprobantur. Legantur exempla a Swietenio, Burserio aliisque allata. Potior tamen jure *intermittentes irregulares* vocantur.

§ 696.

Hos ultra fines quae excurrunt, longioresque periodos obeunt, uti *menstruae*, *bimestres*, *trimestres*, *annuae* rectius fortasse ephemeris aequiparantur. Burser.

§ 697.

Ob varios mores, symptomata, exitus, durationem curationemque, notabilis differentia est inter intermittentem *vernalem*, quae a mense Februario in Augu-

stum, et *autumnalem*, quae ab Augusto in Februarium dominatur. Licet quandoque (ut post Hippocratem monuit Sydenhamus) vel maturius, vel tardius etiam invadant, prout scilicet uberior parciorve in aëre apparatus vel ad easdem producendas facit, vel officit.

§ 698.

Vernalis, ut plurimum brevior, subinflammatoria, synochae febri affinis, regularis, sponte, aut modico apparatu sanatur, recta abiens in sanitatem; medicatrix subinde inveteratorum malorum, melancholiae, epilepsiae, aliorum: reliquias autumnalium tollit. Stoll.

§ 699.

Autumnalis plerumque longa, remittens, subintrans; saburralis, biliosa, pituitosa; anomala, pernicioso symptomate stipata: saepe desinit in lienes magnos, reliquorum viscerum infarctus, icterum, hydropem, cachexiam multiplicem, et quae hinc sequuntur mala. Stoll.

§ 700.

Paroxysmus legitimus febris intermittentis *frigore*, *aestu*, *sudore* absolvitur, tria stadia percurrens. Si unum alterumve stadium deficiat, aut si ordo turbatus sit, *intermittens irregularis* adesse dicitur.

§ 701.

Quin et saepe, intermittens autumnalis praecipue, aemulatur exacte indolem *continuarum*, ob longiores et duplicatos paroxysmos, dum tamen indoles et curatio plane diversae sunt. Stoll.

§ 702.

Paroxysmus autem febrium intermittentium vel eâdem exacte horâ redit, vel maturius, vel vero se-

rius, aut tempore incerto. Hinc febris *consistentis*, *anticipantis*, *postponentis*, *vagae erraticaeque* notio. Stollius.

§ 703.

Si paroxysmus ita protrahitur, ut nova accessio priorem nondum finitam excipiat, febris *subintrans* vocatur.

§ 704.

Aliquando sub larvâ alterius morbi delitescit, quem tempore legitimae accessionis aemulatur, intermittens *larvata*, ita ut sub schemate cephalalgiae, delirii, amauroseos aliusve morbi decurrat. Stoll.

§ 705.

Febrem larvatam adesse docet, ordine et statuto tempore reditus affectionis morbosae aut symptomatis cujusdam gravioris, ita se manifestantis, ut ipsius febris paroxysmus vix ac ne vix quidem appareat, nullam autem conspirationem habentis cum universâ aegrotantis constitutione, aut caeterorum symptomatum complexu, qualia in intermissione notantur. De quo febrium genere, praeter Sydenhamum, Tortium aliosque scriptores mox laudandos, legi merentur Carolus Strackius, Daniel Craanen et Franciscus Casimir Medicus.

C. Strack, Observat. medicinal. de febribus intermittentibus, et qua ratione iisdem medendum sit etc. Offenbach 1785. 8vo. Libr. II. Cap. I seqq. pag. 105 seqq.

D. Craanen, Diss. de genuino febrium intermittentium larvatarum charactere, illarumque peculiari indole. L. B. 1806. 4to.

F. C. Medicus, Geschichte periodischer Krankheiten. Carlsruhe 1764. 8vo. in zwey Bücher.

14 *

§ 706.

Praeter larvatas febres, aliae sunt, manifestis intermittentium symptomatibus instructae, quae *malignae* aut *perniciosae* dicuntur. Quarum duplex Francisco Tortio statuitur genus, alterum *comitatarum*, *subcontinuarum* alterum.

§ 707.

Intermittentes *comitatae*, etsi periodice intermittant et quietis intervalla habeant, in accessionibus peculiari aliquo symptomate periculoso stipantur, quo aegrum in vitae discrimen celeriter adducunt, perniciemque eidem minantur. Burser.

§ 708.

Symptomata ejusmodi periculosa, quae manifestum paroxysmum febrilem comitantur, vel *colliquativi* generis sunt; unde febris *cholerica*, *subcruenta* etc., vel generis *nervosi*, ut intermittens *syncopalis*, *soporosa*, *apoplectica* etc.

§ 709.

Intermittentes *subcontinuae*, quas altero loco, inter malignas recenset Tortius, illae sunt, quae, intermissione paulatim obscuratâ et deperditâ, lente vel festinanter in continuas abeunt.

§ 710.

De universâ febris intermittentis perniciosae doctrinâ legi merentur Ludovicus Mercatus, Richardus Mortonus, Franciscus Tortius, Paulus Theophilus Werlhovius, Johannes de Koker, Boerhavii discipulus, Franciscus Casimir Medicus, et Clar. Alibertus.

L. Mercati, De febris essentia, causis, symptomatibus etc.

R. Morton, Pyretologia sive Tractatus de morbis acutis universalibus etc., Exercitat. II. Cap. IX. *De proteiformi*

febris intermittentis genio; in Operr. Medic., Venet. 1733. 4to. pag. 241 seqq.

F. Torti, Therapeutice specialis ad febres periodicas perniciosas etc.; edit. 5tae. Francof. et Lips. 1756. 4to. Libr. II, III, IV, pag. 125 seqq.

P. G. Werlhof, De febribus intermittentibus soporosis et apoplecticis; in Operr. Medic., edent. J. E. Wichmann, Hannov. 1775. 4to., Part. I, pag. 54 seqq.

J. de Koker, De morbo epidemico anni MDCCXIX, in A. Halleri Disputat. ad morborum historiam et curationem facientium, Tom. V. Lausann. 1758, 4to. pag. 219 seqq.

F. C. Medicus, Die Geschichte eines epidemischen bösartigen Wechsel-Fiebers; in Sammlung von Beobachtungen aus der Arzneywissenschaft. Neue Auflage. Zürich 1776. 8vo. pag. 1—216.

J. L. Alibert, Traité des fièvres pernicieuses ou ataxiques intermittentes. 5me édit. Paris 1819. 8vo.

§ 711.

Inter structurae organicae vitia, qualia sectiones hominum, a febribus intermittentibus diuturnis interfectorum, lustranti Medico exhibuerunt, praesertim referri meretur multiplex viscerum, quae in abdomine collocata sunt, laesio. Prae caeteris autem, quae digestioni et sanguificationi serviunt, organis, in liene potissimum febrium intermittentium causae et effectus cernuntur, ita ut hic vel praegrandis sit, vel duritiem insolitam contraxerit, vel, quod frequentius est, in emollitionem pultaceam degeneraverit. Utrum in febribus intermittentibus subsit quaedam, organica aut dynamica, medullae spinalis laesio, tempus forte docebit.

§ 712.

Quod ad prognosin attinet, de febribus intermittentibus haec praecipue notanda sunt:

Intermittentes vernales rarissime diuturnae et sem-

per fere salutares sunt: autumnales diuturniores sunt, neque levi opera se amoveri patiuntur. Sydenham.

Oris et labiorum vesiculae, quas *hydroam* febrilem vocarunt, in vernalibus proxime instantem recessum augurantur, in autumnalibus symptomatici generis sunt.

Quo brevior intermittentibus apyrexia, eo major in acutas propensio; quo longior vero paroxysmis quies intercedit, eo evidentior in chronicas affectiones nisus esse consuevit. Frank.

Tertianam longitudine excedit quotidiana, quantum haec a quartana superatur, in quam non raro converti videtur, ubi aliquando perseveravit. Nicolaus Piso.

Atque de quartanis quidem illud merito affirmari potest, eas genuinam esse autumni sobolem. Sydenham.

Quartanae, definita hora exacte recurrentes, paroxysmo tamen breviore, sunt quam maxime diuturnae et rebelles. Stoll.

Quae *duplex* est intermittens, priusquam tota cedat, in simplicem converti solet. Frank.

Magnitudini et diuturnitati horroris accessio tota est, et ipsa febris, commensurata. Stoll.

Ubi unum alterumve stadium deficit, ibi febris pertinacior, et facilis in irregularem, remittentem, continuam mutatio. Stoll.

Si invasio non terminetur sudore, aut eo solum modicissimo, continuae metus est, aut remittentis, judicatu difficilis. Stoll.

Quo diuturnior febris, eo major in relapsum proclivitas. Stoll.

Febres populares saepius ob pravam medendi methodum occidunt, quam ob deleteriam quamdam ipsarum naturam. Stoll.

§ 713.

In febribus curandis Medico opus est sagacissimo; summe industrio; summe attento; perseverante; nec imprudenter festinante; indicationibus solum certis, remediis solum simplicissimis inhaerente; neque spe, neque metu, neque pervicacia, neque praefidentia, neque aliud agendo, neque novitatis studio, in transversum acto. Stoll.

§ 714.

Cura alia in ipsa accessione locum habet; alia vero extra eandem. Stoll.

§ 715.

In stadio frigoris dandus est potus diluens, tepidus, leniter diaphoreticus, parce frequenterque sumendus. Abstinendum est ab Opio alioque aromate stimulante. A quinque guttis olei caryophyllorum, ante ingruentem paroxysmum assumtis, juvenem, tertianâ vernali laborantem, lethali pleuritide correptum vidit Swietenius. — Felix, quem faciunt aliena pericula cautum.

§ 716.

Orto calore, quies, stragula leviora lecti, aër frigidiusculus, aqua acidulata et methodus antiphlogistica, ipsa etiam sanguinis missio, si detrahere eum oporteat, conducunt.

§ 717.

Sudor inchoatus blande promovendus, lecto, potu tepido, interdum sambucino; non vi urgendus: a sudore quies, somnus, refectio. Stoll.

§ 718.

Praeter methodum hanc *indirectam*, *generalem* et *symptomaticam*, alia Medici cura est, extra paroxy-

smos, aegrotanti praestanda, ad febrium singularium naturam et causas composita.

§ 719.

Habent quippe febres intermittentes vel inflammatoriam, vel catarrhalem, vel gastricam, vel biliosam, vel pituitosam, subinde etiam rheumaticam aliamve naturam. Cujus singularis febrium characteris, cum annua et epidemia constitutione ut plurimum congruentis, major in curâ habenda est ratio, quam temporis ordinisque, quo redeunt paroxysmi.

§ 720.

Excipiuntur fere febres intermittentes benignae, exquisitae et depuratoriae. In his enim, quae Burserii verba sunt, materia morbifica solis naturae viribus subigitur, singulisque accessionibus minuitur, aut sensibili aliqua evacuatione sic difflatur, ut paulatim sanitas redeat.

§ 721.

In febribus autem intermittentibus, quae artis auxilio indigent, primo loco auferendae sunt causae remotae, manifestae, quae febri occasionem dederunt, dein, pergente febre, causas proëgumenas impugnari oportet.

§ 722.

Ad utrumque finem assequendum remedia faciunt *antiphlogistica*, *resolventia*, *diaphoretica*, *emetica*, *purgantia*, *antispasmodica*, *roborantia*, *cardiaca*, *antiseptica*, et quae alia sunt instrumenta medendi, febrium ingenio congrua.

§ 723.

Quorum priora in auferendis causis excitantibus occupantur; posteriora vero in corrigendâ, quae morbi

semina praebuit, universâ corporis aegrotantis diathesi. Quibus utrisque causis sublatis, causa febris proxima saepissime tollitur, et ipse ideo desinit morbus.

§ 724.

Sin autem, causa excitante ablatâ, nihilominus paroxysmus quasi per consuetudinem recurrat; neque signa adsint internae inflammationis, neque collecti alicubi puris, neque obstructi admodum hujus illiusve visceris, neque colluviei gastricae; tunc utique abigetur Cortice Peruviano, pulveris, infusi, extracti, decocti, syrupi, epithematis, enematis formâ, tempore apyrexiae, debito ordine, dosi, regimine, adhibito, diu continuato. Stoll.

§ 725.

Illud vero Ἱέρον πικρὸν, a quo tempore Europaeis innotescere coepit, consensu Medicorum omnium fere expertissimorum, febrifugum catholicon esse comprobatur, quod omnes febres intermittentes, — in quavis anni tempestate, in omni sexu, aetate et temperamento, radicitus et penitus, cito, tuto et feliciter sanet. Mortonus.

§ 726.

Febrifuga autem non danda sunt febre adhuc crudâ, incipiente, miti, medicatrice; remittente ob phlogosin, vel saburram; visceribus obstructis. Stoll.

§ 727.

Praemature enim data ex intermittente remittentem, continuam, biliosam, ardentem faciunt; viscerum infarctus, hydropes, icteros, arthritides, hypochondriasin inducunt, multaque alia mala, novâ solum et prudenter directâ febre sananda. Stoll.

§ 728.

Excipiendae tamen sunt febres *larvatae* et *perniciosae.* In his quippe, Stollio monente, duplex curatio locum habet: in paroxysmo cura symptomati periculoso accommodata, ut v. c. venae sectio in intermittente *apoplectica*, cardiaca stimulantia in *syncopali* aut *mortuali;* extra paroxysmum autem, febris quantocyus auferenda est. — »Munus ergo solertis Medici, qui perniciosam intermittentem dignoverit, erit statim, paucis praemissis, quae indicationibus universalibus, prout e re videbitur, respondeant, vel iis praetermissis, si occasio sit praeceps, erit, inquam, munus illius, statim ipsi febri directe occurrere, ut imminentem paroxysmum, periculo saepius atque terrore plenum, antevertat, vel saltem imminuat atque leniat. Franciscus Torti.

§ 729.

Sub usu Corticis Peruviani alvus sit facilis; praecordia libera, indolentia; sapor bonus; spiratio bona: excitantes causae, maxime ingluvies, vitandae: uberius perspirare convalescentibus confert. Stoll.

§ 730.

Si febris quievit, diu meminisse ejus diei convenit; eoque vitare calorem, cruditatem, lassitudinem. Facile enim revertitur, nisi a sano quoque aliquamdiu timetur. Celsus.

§ 731.

Praeprimis cortex diu continuandus diminuta dosi, charactere febrili alte impresso ob febris diuturnitatem, crebros relapsus, in febre endemia, constitutione intermittentium adhuc durante; in infantibus, pueris, faeminis. Stoll.

§ 732.

Quo officio ut rite fungamur, memores nos esse oportet temporis, quo intermittentium paroxysmi reverti consueverunt. Werlhovium quippe experientia docuit: »febres, ex *tertianarum* genere recidivas, longe quam plurimas aliquo *secundae hebdomadis* die, sive post quartam lunaris mensis partem, a cessata remedii assumtione, contigisse, — *quartanas* autem et *quotidianas veras*, *tertiâ hebdomade*, sive post lunaris mensis dimidium, reversas, vel recursum evidenter molitas esse."

§ 733.

De febribus intermittentibus legantur praesertim Sydenhamus, Mortonus, Tortius, Huxhamus, Werlhovius, Burserius, Stollius, Quarinus et Strackius, quorum libros et observationes ante laudavimus. Conferantur quoque ea, quae ex alienis observationibus collegit et digessit Wenscelaus Trnka de Krzowitz, Medicus Hungarus et in Universitate Tyrnaviensi quondam Professor. Inter recentissimos, qui de hoc morbi genere commentati sunt, scriptores, multorum suffragia tulit Doctissimus Bailly.

W. Trnka de Krzowitz, Historia febrium intermittentium, omnis aevi observata et inventa illustriora medica, ad has febres pertinentia, complectens. Vol I. Vindobon. 1775. 8vo. (Tomus alter, in quo de *recidivis*, de *malignis* et *larvatis*, deque *morbis secundariis* agendum fuisset, in lucem non prodiit.)

E. M. Bailly, Traité anatomico-pathologique des fièvres intermittentes simples et pernicieuses etc. Paris 1825. 8vo.

§ 734.

Ut intelligatur intermittentium nostratium ratio, legantur Petrus Forestus, Isbrandus Diemerbroeckius, Gerardus Swietenius aliique Batavi Medici, tum quoque

Medici exteri, qui in patria nostra artem exercuerunt, ut v. c. Johannes Pringlius, Jacobus Graingerus, Fredericus Johannes Christianus Sebastian, Doct. Popken, alii.

P. Foresti Observationum et Curationum medicinalium Libr. III (*De febribus intermittentibus*) et Libr. V (*De febribus compositis*); Operr. Omn., Francof. 1660. fol., pag. 64 seqq., 125 seqq.

J. de Diemerbroeck, Observationes et Curationes Medicae centum, pag. 76, 97, 98, 118, 124 seqq. in Operr. Omn. Anatomicis et Medicis, curâ T. de Diemerbroeck. Ultraject. 1685. fol.

G. van Swieten, Commentar. in Boerhavii Aphor. 746 seqq. Tom. II pag. 504 seqq.

J. Pringle, Verhandeling over de Legerziekten enz.; vertaald door L. Bicker. II D. pag. 1 seqq.

J. Grainger, Historia febris anomalae Batavae, annorum 1746, 1747, 1748 etc. Edinburg. 1753. 8vo.

F. J. C. Sebastian, Ueber die Sumpfwechselfieber im allgemeinen, und vorzüglich diejenigen, welke in Holland epidemisch herrschen. Karlsruhe 1815. 8vo.

F. A. L. Popken, Historia epidemiae malignae, anno 1826 Jeverae observatae. Bremae et Lips. 1827. 8vo.

INDEX CAPITUM.



BIJ DEN UITGEVER DEZES ZIJN IN HET JAAR 1835 UITGEGEVEN DE VOLGENDE WERKEN:

SURINGAR (G. C. B.) Hoogleeraar te Amsterdam, Epitome Therapiae Generalis . . . . . . *f* 1,50.

ENCYCLOPEDISCH WOORDENBOEK der Praktische Genees-, Heel- en Verloskunde, door G. F. Most. 1e Deel. 1e en 2e Stuk. A—D . . . » 5,20.

CHELIUS, Leerboek der Heelkunde. 7e en 8e Stuk. à *f* 2,40 . . . . » 4,80.

ONSENOORT, (A. G. VAN) De Operative Heelkunde, stelselmatig voorgedragen. In drie deelen met platen. Tweede zeer vermeerderde en verbeterde druk. 1e en 2e Deel. à *f* 5,40. . . »10,80.

RICHERAND, Natuurkunde van den Mensch (Physiologie) uit het Fransch vertaald door A. van Erpecum. Derde zeer verbeterde en vermeerderde druk. 1e. Deel. . . . . . . » 2,80.

TILANUS (C. B.) Hoogleeraar te Amsterdam, Schets der Heelkunde tot Leiddraad voor zijne lessen . . . . » 1,80.

TIJDSCHRIFT voor Natuurlijke Geschiedenis en Physiologie. Uitgegeven door J. van der Hoeven, Prof. te Leiden, en W. H. de Vriese, Prof. te Amsterdam. 2e Jaargang 1835. 4 stukken met platen . . . . » 9,—.

VOSMAER, Apothekars Woordenboek, of uitvoerig Zamenstel der Apothekerskunst en daartoe voorbereidende Wetenschappen, na des schrijvers overlijden vervolgd door Claas Mulder, Hoogleeraar te Franeker. 2e Deel. 2e Stuk . . . . » 2,80.

WATER (J. A. VAN DE) Beknopt doch zoo veel mogelijk volledig Handboek voor de Leer der Geneesmiddelen (Materies Medica). Tweede verbeterde en vermeerderde Uitgaaf, door M. W. Plagge, Bad-Arts te Bentheim . . » 4,80

—

De Aarde en hare Bewoners, Een aardrijkskundig Handboek door K. T. Vollrath Hoffmann, vrij in het Nederduitsch vertaald en met eenige Aanmerkingen en Bijvoegselen vermeerderd door J. van Wijk Roelandsz. 1e, 2e en 3e Stuk. à ƒ 1,40 . . . . . . ƒ 4,20. met platen en kaarten.

Ippel (J. W. L. F.) Eerste Beginselen der Hoogduitsche Taal, in korte Beginselen, met opstellen ter Vertaling. Vierde vermeerderde druk . . . . » 0,70.

Schröder (J. F. L.) Hoogleeraar te Utrecht, Over meetkundige Bepalingen, met vele ingevoegde figuren. . . . . » 1,80.

Mulder (G. J.) Scheikundig onderzoek van koper tot dubbeling van schepen gebruikt. . » 1,40.

VOORTS ZIJN TER PERSE:

Chelius, Leerboek der Oogziekten, door G. J. Pool, Med. Doctor.

Kunth's Handboek der Botanie en aanleiding tot de kennis der Natuurlijke Familiën des Plantenrijks. Uit het Hoogduitsch vertaald door N. B. Millard, met eene Voorrede van den Hoogleeraar W. H. de Vriese. 2 deelen.

Onsenoort (A. G. van) De operatieve Heelkunde. 3e Deel.

Most, Encyclopedie der Genees-, Heel- en Verloskunde. 3e Stuk.

Richerand, Natuurkunde van den Mensch. 2e Deel.

Hoffmann, de Aarde en hare Bewoners. 4e Stuk.

Vosmaer, Apothekers Woordenboek. 3e Deel. 1e Stuk.

Stark, Leerboek der Verbanden, door A. van der Hout. Tweede zeer vermeerderde en verbeterde Uitgave.

